GLORIA DOMINI,

Super TEMPLUM S. Suum,

ad Solennes Encæniorũ primitias Ecclesiæ Collegiatæ Crac.

S. ANNÆ

Ope Divinæ Providentiæ recẽter à fundamẽtis erectæ,

RELUCENS:

& Posteris,

brevibus literarum modulis,

M. ANDREÆ BUCHOWSKI,
ejusdem Ecclesiæ S. ANNÆ, Canonici,

ENARRATA.

Die 21. Octobris. Anno Domini 1703.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.



Victima præfert Gladiũ, micat ignibus Ara.
Talia virtutum Symbola Præsul habet!
His Patriæ defensa diu munimina clarent;
His quoq; Templa Dei splẽdidiora nitent.

ILLUSTR[mo] ac REND[mo] DOMINO,

D. CASIMIRO
à LUBNA
ŁUBIENSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ,
EPISCOPO HERACLEENSI, NOMINATO
CHEŁMENSI, SUFFRAGANEO, CANONICO, Sede vacante Episcopatûs Crac: & Ducatûs Sever.
GENERALI ADMINISTRATORI,
Domino Domino Benefactori Amplissimo.

SPlendorẽ Nominis Tui, Præsul Illustrissime, hujus Opusculi fronti benignè concedis; qui Ecclesiam nostram ingentibus beneficiis clariorem reddidisti. Te primum, ante ipsum Templi prospectum, hilaris animus vidit & præ-

concepit; quia universæ hujus constructionis optimum Arbitrum colere impensiùs debuit. Sed ingenuè fateor, me nihil magnitudini meritorum Tuorum addere posse: cùm gloria Tua sublimior sit, & ad Annalium honores capacior; quàm ut in hac pagina condignè censeri possit. Eruditam enim ac magnam mentem Tuam, quam Ecclesia veneratur, in aliis Scriptorum operibus mirabuntur Posteri. Meâ nunc interfuit, pro tot beneficiis acceptis, nuncupare vota, & illius Ecclesiæ, quam Præsuleis laboribus, manibusq; DEO nostro consecrâsti, offerre Iconem, in solemnē gratiarū actionem. Hæc si placebit; obsequium debitæ gratitudinis censere dignaberis: si displicebit; paternè monebis, ad scribendā Domū Domini, non nostrum breve silentii tempus, sed integrum studiū

applicari

applicari debere. Igitur non jam laudes atq; encomia Tua, aliorum exēplô, huic Libello ingero: ipse enim Illustrissimorum Antecessorum merita comples; ac præcipuè Magni illius Regni Poloniæ Primatis Primiq; Principis, opinione sanctitatis & prudentiâ rerum agendarū celeberrimi Antistitis, MATHIÆ à Lubna LUBIENSKI, Archiepiscopi Gnesnēsis, & STANISLAI à Lubna LUBIENSKI, Episcopi Plocensis, famâ meritorū Patriæ & Ecclesiæ celeberrimi; Patruorū Tuorum præclarā vitā agis: ut illorū sanctitas, authoritas, fortitudo, & constantia apud Te possessionē firmâsse videantur. Et si Illustrissimi ac Magnifici Domini, SIGISMUNDI à Lubna LUBIENSKI, S. R. M. Colonelli, spectata fides erga Principem, salutare exemplar consilii, intemerati animi vigor, Tuis PRÆSUL optime cōstantibus ac

infra-

infractis semper, pro Ecclesia & Patria laboribus associetur, par nobile Luminum, Senatoriis Curulibꝰ pridē insidere Lechia dijudicat; quæ hinc armis felicior; illinc consiliis clarior, vestrô beneficiô ad priscũ gloriæ exēplar elevatur. Sed cùm Infulas PRÆSUL dignissime fugias; supplex continuò precabor; ut Te principaliores insequantur: votoq; omnium, ingentium Virtutum Tuarum exempla admirari ad eam honorum augem cupio; à qua, magno Patriæ bono, ad pacem trãquillitatemq; firmandam, Te splendere volunt Superi. Ità innocenter sentio, & constanter opto.

ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ.

Servus obsequentissimus,

M. ANDREAS BUCHOWSKI,
Professor Regius in Universitate Crac.

PRÆFATIO

INter extrema Laborãtis Europæ suspiria, & fatales Martis ad gentium exterminium evulgatos clangores, Templũ Sanctum Domini in decus literarum, præsidiumq; orbis Arctoi faustè adaperiri, & festivè Domino consecrari, intuemur. Quis non speret, perfossos clypeos, tela trunca exuvias hostium, aut talibus similia trophæa, Deo Exercituum offerri & dicari? aut colla torosa boum vinctorum cornua vittis, securibus necari? Sed Tu Domine Deus Noster! qui abscondita vides. & intrinseca judicas, devotas profusasq; literas in holocaustum accipe. corda inquam nostra cõtrita humiliataq;, solenni hoc Templi Tui Dedicationis die, ad tremendæ Majestatis Tuæ adoream, gratiarumq; actionem oblata suscipe. Omnis enim hæc copia, quam pietas plurimorum paravit, ut ædificetur Domus Nomini

mini

mini Sancto Tuo, de Tua manu est, & Tua sunt omnia. Tu populi Tui ad locum hunc congregati prostratiq; pias deprecationes in solennem victimam, pro Ecclesia, Rege & Patria, per Pôtificias manus in holocaustum, suscipere, & dextera Præsuleæ Domum Tuam cõsecranti, benedictionem concedere digneris; donec nubes Tabernaculum hoc operiat, & gloria Domini impleat illud.


Structura hujus scripturæ, ordine composito perficitur.

Primo enim 12. Capita, universum, Templi S. ANNÆ externum internumq; prospectum, à basi ad verticem demonstrant.

Secundò, 4. alia, grata pro beneficiis acceptis monumenta censent.

Quæ singula, si addita componantur; potestatem efficiunt, sed Divinæ Providentiæ; cujus radius quaternarius est, firmitatis Ecclesiæ S. ANNÆ Symbolum.

PARS



IN NOMINE DOMIMI AMEN.

PARS I.

CAPUT I.

Describitur Cracovia, & Introductio in eam Universitatis Cracoviensis.

PRinceps Regni Poloniæ Sedes, ac Regalium Fascium custos, Cracovia est; Urbs magnifica, & ad politioris vitæ studium perquam accōmoda. Utpote, quæ adjacentium Hungariæ & Silesiæ Provinciarum, commerciis celebrior; domi hortorum fertilitate, plusquam amœna; extra salisfodinarum plenitudine famosa; albi, nigri, grysei marmoris, alabastri, gypsi duplicis, & ad omne ædificiorum genus servientium variarum petrarum, cir-

cumstantibus hinc inde venustissimis montibus feracissima, sulphuris etiam copiâ dives, potissimas utriusq; Poloniæ Provincias locupletat. Sita est sub gradu latitudinis 50. 12. longitudinis 42. 40. decursu Vandali fluvii, Istulæ seu Vistulæ hodie nuncupati, vallata, in ea Sarmatiæ parte, quam Lugios seu Lagios Elysios, propè Carpatum montem inhabitâsse Prisci referunt. Carrodunum Ptolomæi, eam plurimi docti autumant; si non Cracodunum, ad differentiã aliarum Urbium, taliter à Ptolomæo multoties in diversis Provinciis notatarum; prout & Varsava pro Arsicua, scribi referriq; debuisset.

Hanc Cracus Lechiadûm Dux circa Annum Christi 700. ad Vavelum montem, Domicilii sui sedem, in ampliorem formam redegit; ac tandem Casimirus II. Poloniarum Rex, cognomentô Magnus, eleganti ori muro turriumq; pervenusta dispositione munivit; adjunctô ei trans Istulam Oppidô, quod Casimiriam à nomine suo appellavit; ut Urbis, Oppidiq; vada, medio svaviter defluendo fluvius irrigaret: adau-

cta

cta insuper ampliore, in Vavelo monte Acropoli fortissima, quam postea Sigismundus I. è stirpe Jagelonia, in excellentissimum Architecturæ exemplar evexit. Et ut generosi Lechiadûm animi, à Marte ad artem, svaviùs efformarentur; idem Casimirus Magnus, vocatis per plurimis ex Universitate Parisiensi, ejusq; celeberrimis tunc S. Barbaræ, Harcuriano, S. Andreæ Artium Collegiis, eruditissimis viris, Professoribus, omnibus Artium Magistris graduatis, Casimiriæ in Oppido novo, Academiam, erecto ibidem amplissimo, vastissimoq; Collegio, in Anno Christi 1361. condidit: quatenus ad similitudinem Lutetiæ Parisiorum Cracovia Urbs, hinc mercium varietate, liberaq; dispositione commodior indies excresceret: & Oppidum illinc venustate literarum pacatiùs in sedem ampliorem effloreret.

Sed fatis aliter disponentibus, Cracovia majorem à literis quàm mercibus gloriam accepit: ipsamq; Almam Scholam Casimiriæ inchoatam, in sui perpetuam manutentionem, sacramentô fidei Regi, totiq; Regno declaratam, feliciter obtinuit. Effe-

 ctum


ctum D. Hedvigis Poloniarum Regina, Regiâ verè munificentiâ procuravit. Et D. Jagelo Poloniarum Rex, ob acceptum fidei lumen, Regniq; coronam, destinato operi manum apposuit; ædificatis tribus principalioribus Collegiis, Generalē Regni Scholam, Regni Statutorum robore, ac insignium privilegiorum authoritate gratiosè firmatam, Anno Domini 1400 constituit. Ut verò nobilium animus Martio semper genio proclivior, ad literas incitaretur; Petrus Wysz Episcopus Cracoviēsis, sanctimoniâ vitæ, atq; prudentiâ civili celeberrimus, primam in Jure lectionem eodem Anno perlegit.

Sic Urbs literarum vigore florentior, cultu religionis, fidei zelô, templorum nitore, constantiâ devotionis, intaminatâ erga Sedem Apostolicam reverentiâ, culturâ atq; eruditione Cleri, inviolatâ ergâ Principes regnantes fidelitate, clarius excrescere cæpit, ut exinde à pluribus Cracovia altera Roma diceretur. Nam præter pulcherrimum templorum ordinem, qui tunc per continua purioris vitæ exempla, cathechisimorum traditionem, oppressorum tutelam consolationemq;, majus incrementum accepit; Religio ipsa sanctior uberes pietatis fructus indies præ seferens, Cracoviam commendabat: ut locis nonnullis arcanô quodā Dei judiciô, in illustre ornamentum destinati Professores, aliquot Sanctorum instituta ampliârint. Ordinem enim Minorum S. Francisci de Observantia, centum viginti Professores Academici, unà cum numerosâ Juventute, ad adventum S. Joannis Capistrani Cracoviam, per integrum Regnū Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithvaniæ feliciſſimè plantârunt; ac ideo ad insignem primævæ Originis consolationem in Ecclesia S. Bernardini PP. S. Francisci de observantia, Corpus B. Simonis de Lipnica, Magistri olim in Universitate, etiam Theologiæ Baccalaurei, multis in vita, & post obitum clarum miraculis, in Religionis Urbisq; tutelam asservatur.

Claruit pariter sanctimoniâ vitæ, & miraculorum gratiis, ad Ecclesiam Sanctiſſimi Corporis Christi, B. Stanislaus Casimiritanus, Ordinis Canonicū Regularū Lateranen-

ranensium; ad Ecclesiam S. Catharinæ, B. Isaias Boner, Ordinis Eremitici S. Augustini, innocentiâ vitæ ac miraculorum famâ celebris, uterq; in Universitate Magister artium graduatus, & Sac: Th: Baccalaureus: quorum Corpora in iisdem Ecclesiis Dei Optimi Maximi bonitas, insigni in hodiernum usq; diem gratiarum claritudine illustrat. Viguit præterea in Ecclesia S. Marci, Ordinis Beatorum Martyrum de pœnitentia, B. Michaël Gedroic, è Ducibus Lithvaniæ oriundus, humilitatis, sanctitatisq; purissimum exemplar; in Ecclesia Archipræsbyterali B. M. V. D. Sventoslaus, cælestium contemplationum sanctissima Idea; Omnes hi unius Seculi, unà cum B. JOANNE Cantio, velut Lucernæ ardentes coram hominibus lucebant, à quibus in tenebris ambulantium animi Lumen veritatis in operatione acciperent, & ad vitæ integritatem, bonorumq; operum imitationem, amore Dei & proximi svavius traherentur.

CA-



CAPUT II.

Antiqua Ecclesia S. Annæ arctior, impulit Ordines Academicos ad novam à fundamentis secundùm hanc, quâ conspicitur, formam erectionem.

Postquam Generalis Regni Schola, Domino benedicente, summa Professorum assiduitate, & pia in docendo contentione, ad laudem Dei omnipotentis, Patriæq; utilitatem efflorescerct: atq; Studentium frequentiâ è vicinis Provinciis, Hungariæ Regno, Silesiâ, Moraviâ, Lusatiâ, Marchiâ, & Borussiâ, copiosè congregatâ adornaretur: Locus Sacer eruditioni Timoris Domini destinatus, seu ipsa Ecclesia S. Annæ, Collegio Majori vicinior, strictior reperiebatur, quàm, ut tantum studentium confluxum caperet. Igitur prædicta Ecclesia latiorem paululùm accepit formam, Choro Minori eidem à fundamentis erecto & adjuncto; atq; ut securior restauratio accederet, integra Ecclesia cum jure Patronatûs, permutato alio ampliori

bene-

beneficiò Ecclesiastico, de consensu speciali Illustrissimi & Reverendissimi Loci Ordinarii, approbante S. Sede Apostolica, Reverendissimis PP. Abbate, totoq; Conventu Claræ Tumbæ Ordinis Cisterciensis, Academicæ possessioni devenit.

Mos enim Parisinæ Universitatis faustè æquè ac constanter ad Studium Uniuersitis introduci cepit, qui in hodiernum usq; diem ad maximum pietatis incrementum viget; ut quolibet uno, ex 4. temporibus anni, die Jovis, in hanc aut aliam Ecclesiam Generalis Processio Academica institueretur; præmisso Mandato Magnifici Domini Rectoris, ad audiendum Sanctum Missæ sacrificium, pro pientissimis Fundatoribus, Serenissimis Regibus, Principe Regnante, totiusq; Serenissimæ Reipublicæ felicissimo successu: in qua devotione sermo adhortatorius ab uno è SS Theologiæ Professoribus declamatur, & piis Professorum orationibus, ordine & serie inscripti Fundatores, Benefactores, Protectores, cujusq; status & dignitatis, copiosissimo semper Auditore spectante, commendantur: atq;

ideo

ideo amplior semper tantæ devotioni locus optabatur.

Cæterum Sancta & pia illius ætatis Professorum cura, major semper in sedula Juventutis eruditione, exemplo bonorum operum, continua pauperum alimonia, quàm in vasta ædificiorū amplitudine promovenda exstitit: aureum illud Clementis Alexandrini edictum imitantium: *quantò est gloriosiùs multis benefacere, quàm magnificè habitare? quantò autem prudentiùs in homines, quàm lapides impensas facere.* Atq; ideo cùm omnes propè Regni Proceres, in politioris vitæ modum efformatos, sibi haberent addictissimos, & tamen pias plurimorum largitiones ultroneè oblatas, spontè respuerent; factum est, ut, cùm aliunde bonorum temporalium, ædificiorumq; cura, carior, quàm pauperum egestas, Deiq; gloria produceretur; paupertas Academica, & nulla rerum cupiditas, pro simplicitate, hodie usq; diceretur.

Sic placet aurum: cùm tamen nulla magis afficiat prudentes ignominia, quàm famelicus quæstus.

 nec

- - nec plura venena
Misceat, aut ferro grassetur sæpiùs ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva Cupido
Indomiti censûs. - -

Sed & aliunde quædam Ecclesiam S. *Annæ*, ampliandi accessit necessitas, præcipuè cùm Dei Omnipotentis Bonitas, ad Sacrum D. JOANNIS Cantii, Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Presbyteri Secularis Depositum, miracula in consolationem Sanctæ Orthodoxæ fidei patefaceret: ut ad ingentem sæpiùs totius Urbis confluxum, rima quandoq; aliqua, aut quiscunq; alter, cum simplici ruinæ Ecclesiæ voto hominum, visûs optaretur, quò Sacra Devotio intùs celebrata, ardentiùs spectaretur. Qua de causa plurimi è Patribus cogitarent modum, quò vastior Ecclesiæ forma excresceret: & tam populo, è singulari benedictione Domini, à loco isto cælestium Dona charismatum accederent: quàm Ordinibus Academicis, juxta legum juriumq; præscriptum, quotidiana orandi commoditas attenderetur. Igitur in hunc finem, pia Professorum quorundam Legata diu col-

lecta, ad Archivum Universitatis servabantur; donec tandem maturior consultatio, & conclusio de Ecclesia reædificanda conderetur. Parietes quippe Ecclesiæ quaquaversus in notabilem inclinati ruinam, aut novis Architectonicis fulciri columnis, aut in suos resolvi lapides censebantur.

Placuit nonnullis pristinam Ecclesiæ formam conservare, ad dulcem primi Ingressûs Academicorum in hanc Ecclesiam, recordationem; tum propter multorum, opinione sanctitatis in præfata Ecclesia dormientium corporum, depositionem: tum propter nonnullorum Reverendissimorum Antistitum, Illustrissimorum Heroum, Benefactorum, seriem: tum propter D. Annæ Mettertiæ in majori Altari gratiosam Statuam, usitatamq; populo devotionis praxim: tum propter Serenissimi ac Invictissimi JOANNIS III. Poloniarũ Regis, è locô hoc, ad Viennæ eliberationem pergentis, acceptam benedictionem, & felicissimè sub Augustissimæ Virginis MARIÆ Nomine, admirabili fortitudine contra Othomanni-

cam potentiam triumphantis, in recognitionem beneficii accepti, præclarum Monumentum huic loco consecrantis: placuit inquam quibusdam Antecessoribus & Doctoribus, ob tot & plura alia antiquitatis monumenta in eo statu, quô acceperant, Ecclesiam conservare.

Aliis è contra consultantibus, vergentium in deterius parietum ruina, firmum animi, in nova à fundamentis Ecclesia ædificanda propositum stabilivit, maximè cùm spes aliquorum Principum eluceret; quorum beneficiis opimum nova Ecclesia incrementum accipere credebatur. Venit tandem decretoria dies, quâ unanimiter, ab Universitatis Ordinibus in hunc finem Convocatis, feliciterq; conclusum est ut Mappa Ichnographica, seu Planta cum Facie novæ Ecclesiæ inventa, futuræ Convocationi proponeretur Atq; uti quilibet venustiorem Ecclesiæ formam tunc curiosiùs optarât: ità & raram quandam Mappam à nonnullis domesticis, externisq; Architectis intensiùs solicitabat.

Claruit eò tempore, in Aula Excellentissimi

tissimi

tissimi & Illustrissimi S. R. I. Principis. Stanislai Lubomirski, Regni Supremi Mareschalli, Inventor nobilis Tilman, Pictoriæ artis peritissimus, & ideo in Architectura celebris, ac maximè propter evecta nonnulla elegantis formæ Palatia, eidem Principi charus. Is Romanæ S. Caroli Boromæi Ecclesiæ, Nationis Hispanæ, dispositam suaptè, ad cubitos nostros Mappam monstravit, quæ ùt, in utraq; facie, præclaram præsetulit formam: ità intuentium oculos ad sui approbationem facilè attraxit. Decrant nonnulla, quæ optabantur; scilicet Turrium ad impositionem Campanarum regularis applicatio; Sacellorum, ad peragendas juxta Ritum Ecclesiarum Parochialium processiones, strictior ordo; Archivi Ecclesiæ ad unum Ecclesiæ latus incommoda positio; brevior arctiorvè utriusq; Chori ambitus: & nonnullæ intermissæ animadversiones: quæ singula à Generali Convocatione, deputatis ad hunc finem Clarissimis nonnullis, peritisq; Professoribus, prudenter corrigebantur: & jam Ecclesiæ planta ad formam Crucis disposita, quã-

dam

dam Ecclesiæ Romanæ similitudinem S. Andreæ de Valle, præseferens, nova & regularior componebatur; quæ tandem approbata & subscribi jussa, arctiùs ad antiqui demolitionem Templi omnium animos permovit.

CAPUT III.

Positio seu situs novæ Ecclesiæ: & primi benedicti lapidis jactus.

VAstior locus, & Tabulæ Ichnographicæ accõmodus deerat: Latus enim Plateæ à Meridie, ab Occidente Schola Parochialis, à Septemtrione Civium domus, ab Oriente Præpositi Residentia, Ecclesiam arctabant: igitur principium demolitionis Schola Parochialis fecit, quæ paulò ad Occidentem promota, in hanc, qua nunc conspicitur, formam, redacta est: deinde ad Turrim Ecclesiæ, Chorumq; majorem, seriùs solvendum, deventum; illudq; spatium, quod novam Ecclesiam feliciter cõprehenderet, ad oculum est patefactum.

Inte-

Interea nõnullis Professoribus aliundè constanter persvasũ fuit, Ecclesiæ ædificandæ faciem, non ad latus Plateæ, sed in ipsa Platea diagonaliter consignari, utpote quòd è foro Urbis augustior, primusq; prospectus in Plateam S. Annæ vergeret, haberetq; visus insigne Operis Architectonici Objectum, quod animum, frequentiùs Ecclesiam demirandi, permoveret. Regulam quoq; non postremam Architectis inesse, ità faciem sui Operis dirigere, ut eam oculus, sinè cervicis gravamine elevatus, uno intuitu comprehendat: alioquin ad rité cognoscendam Ecclesiæ faciem, pars anterior Collegii Classici, nî demoliretur, impediret; essetq; strictior futurorum ad Ecclesiã graduum ambitus, quàm probata praxis laudaret.

Hæ, & aliæ non absimiles rationes, quia ab aliquot condignis viris proferebantur, hæsitare tantisper eos, qui ad fundamenta locanda destinati fuerant, fecerũt; ut lateres, aliaq; materia muro novo, è veteri inservi-ens, in alium, & non in parietem Ecclesiæ, poneretur locum. donec tandem futuro vere, maturior Patrum Universitatis consulta,

ſultatio accederet; quatenus in fundo primævo, Deo dicato & hæreditario, nova Eccleſia extollatur, taliter regulata, ut & Plateæ ornamentum adaugeat, & acceptam loci capacitatem pro poſſe adimpleat; ſanctè monentium, cupiditatem alienorum fundorum ab animis Academicis, qui alios ad juſtitiam erudiunt, prorſus amoveri; religioſum inſuper aliis præbere exemplum, ſuam quantamcunq; exiguam hæreditatem, ſinè injuria proximi, ad Dei cultum dextrè accommodari poſſe. Nam & Plateæ Latitudo, ubi attentiùs examinaretur, ſtrictior inveniebatur, quàm tam latam imò duplò latiorem faciem capere poſſet. Et Eccleſia ipſa, ad latitudinem Plateæ protracta, plus damni Urbi, quàm ornamenti feciſſet. Et ſi medium faciei Platea comprehendiſſet; reliqua Templi erigendi extrema, Collegio Novodvorſciano ab una, Domui Præpoſitali ab altera parte, demolitionem neceſsitaſſent.

Venit tandem una omnium fauſtiſsima, ac feſta dies, quæ diu anxia vota in delicias vertit, & momentô omne id abſolvit, quòd

quod bino ſeculorum tractu deſiderabatur. Nam cùm conſtanter in eam, ut nunc eſt, formâ Eccleſiæ fundamentum deſtinatum eſſet; gratiæ ipſæ exſuperantium gaudiorum fœcundæ convenerunt, optante Joanne III. Polonarum Rege prudentiſsimo, æquè ac feliciſsimo; Joanne Małachowski, Epiſcopo Cracovienſi cooperâte, Joanne Michalski, Sac. Th. Doct., Univerſitatis protunc Rectore, permovente, ut Sanctiſsimæ in terris Triadi, JESU. MARIÆ, & ANNÆ, & Côſangvineæ ſanctitati, ad ritum Eccleſiæ primus Lapis die 22. Menſis Maii, Anno 1689. conſignetur. Dici non poteſt, quàm prompta, ardenſq quædam laborantium aſſiduitas, Urbiſq; ad exceſſum pœne effuſæ, in lætitiam congregatæ, ad ſolenniter deſtinatum diem fuerit: ut plurimorum adſtantium, lachrymæ permoverentur, intuentium profundiùs, hinc indè foveas fundamentis applicatas; illinc Antiquæ Eccleſiæ rudera, reſervatiq; Chori minoris ad ſacra obeunda Capellam perjucundam. Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Princeps, Joannes de Małachowice Małachowski, Cracovienſis

viensis Antistes, Dux Severiæ, in assistentia aliquot Illustrissimorum Dominorum Prælatorum & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, in frequentia copiosissimi Cleri, Magistratûsq; Cracovien:, Sacra egit, atq; fundo optatissimum, primum, benedictumq; lapidē quadratæ formæ, ad mediū lateris, futuri Chori minoris feliciter jecit; Adm Rn̄dus P. F. Stanislaus Orminski, Ordinis Prædicatorum à plurimis annis visu orbatus, disertissimus Orator, Patrio sermone ad expectationem Basilicæ, Sanctorum quorundam diu quiescentium, populiq; vota, disertè perduxit: Universitatis nomine scriptum elegantissimum, Clarissimus olim M Josephus Bieżanowski literarū in utroq; stylo sui ævi celeberrim⁹, ac ubiq; terrarum, laudatus scriptor, edidit, qui & inscriptionem benedicto lapidi æri incisam & affabrè applicatam, posteris ad tenorem sequentem reliquit.

Lapis sum sed vocalis;
qui os meum aperiens, & attrahens de cælo spiritum,
ut veritatem de terra ortam, coram Deo,
Divisq;, & seculis omnibus loquar.

cùm

cùm Templum hoc
REGI seculorum, DEO immortali,
ad æternam gloriam:
Deiparæ Virginis MARIÆ
immaculatè conceptæ,
SS. JOACHIM & ANNÆ,
B. IOANNIS CANTII, omniumq; Sanctorū honorē,
Sanctissimis IESU & MARIÆ Nominibus
dicatum,
post institutam recenter à S. Sede Apostolica,
in vim gratitudinis
obtentæ ad Viennam victoriæ,
Sanctissimi Nominis MARIÆ festivitatem;
novum à fundamentis erigeretur,
Summo Pontifice INNOCENTIO XI.
Sceptra Poloniæ tenente
Serenissimo IOANNE III.
formidandæ Turcarum potentiæ,
felicissimo ad Chocimum & Viennam Triumphatore,
totiusq; Christianitatis Vindice, & Patriæ Patre;
Magni Præsulis,
IOANNIS MAŁACHOWSKI,
Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ,
Universitatis Crac: Cācellarii, & Protectoris favētissimi,

Ponti-

Pontificali manu,
feliciter jactus,
Annô Domini 1689. Die 22. Mensis Maii
in viscera terræ descendi,
futurus hîc structuræ novi operis fundamentū & testis.
sinè lingva, sinè oculis,
satis disertus, satis oculatus,
quia
Sacer & benedictus.

CAPUT IV.

Fundamenta Ecclesiæ novæ, & murus ad brachia & latera elevatus.

AD iactum primi benedicti lapidis, Fundamentum Ecclesiæ 14. cubitos altum, latum verò 6, quaq; versus excrescere cæpit; donec ad regularem muri elevationem quadratorumq; lapidum bases consolidantium, dispositionem attentior requireretur animadversio. Placuit tum Architectum quendam Lucemburgicū assurgenti operi præficere; sed dum muri forma brevior, & in sacellis transversis strictior laterum ad angulos euntium reperta fuisset

fuisset ordinatio; ingens præ oculis emergens damnum, permovit Ordines Academicos cum plenaria ac absoluta potestate: *Perillustrē ac Reverendißimū Dominum, M. Sebastianum Piskorski, I. V. Doctorem ac Professorem, Canonicum Cathedralem Cracovien., Fabricæ Directorem* constituere; laudatam perspectamq; habentes viri hujus rerum perficiendarum, cultûsq; Divini promovendi constantiam, & prudentiam, ac in ædificiis excellentioribus, præcipuè ad Eremum *D. Salomeæ*, & Ecclesiæ suæ Parochialis *Zebocinensis*, probatam perfectamq; Architecturæ scientiam & praxim; optimè persvasi, Virum hunc optimum ad meliora in dies rerum magnitudine excitari. Is consilium *Taciti* monentis secutus, eos qui magnarum opera rerum suscipiunt, æstimare debere, an quod inchoatur utile, an promptum effectu: aut certè non arduum sit? ad securiorem Fabricæ dispositionem adhibuit *Nobilem Franciscum Solari*, probatū Laudatumq; Architectum; atq; errores in arctiorem transversorum sacellorum murum multô sumptu emanatos, faustè ac diligenter correxit, stabilivit,

insuper ampliora transversis Sacellis fundamenta, & lateri diagonali Chori minoris firmiorem addidit in fundo latitudinem. Ad cujus Directoris Fabricæ seriam sedulamque attendentiam, murus quaqueversus Synchronicè usq; ad Chori minoris fornicem claudendum crescere cœpit; sed peculium à Patribus sanctè legatum prorsus decrevit; erogatæ enim ampliores in demolitionem Ecclesiæ, simul & fundamenta, expensæ, prioris Architecti errores, dimidium ferè absorpserunt; ut jam Fabricam comperendinatam, judicarent.

Cæterùm cùm præfatus *Reverendissimus Director* Fabricæ *Illustrissimorum* Ecclesiæ Cathedralis, *Prælatorum Canonicorumq;* affectus, ob præclara sanctioris vitæ exempla possedisset, atq; in Universitate jus summum Fascibus Rectoralibus tenuisset, facilè quosdam Domino disponente, ad charitatis subsidium, ipse imprimis ære tunc proprio murariorũ labores manutenendo, commovit: ac tantùm (quod admirari satis haud poteramus,) à piis Virorum largitionibus percepit, quantùm principalior solutionis

necessi-

necessitas exigebat. Ingens quidem coctorum laterum numerus, saxorum, calcis, cæmentiq; copia, è vicinitate providebatur: lapides verò duriores quadrati, basibus Ecclesiæ ordinati, ad columnarum proportionem elaborati, ad Epistylii, Coronidum, Zophori fulcra & ornamenta ordinis compositi provisi, quia è Lapicidinis *Mislicensibus* ultra 4. Milliarià advehebãtur, ingentem pecuniæ numerum exhauriebant. Nec minori sumptu pro peristyliis Columnarum, atq; parastadum, *Pinczovienses* Lapidarii ingentes Lapidum formas, è suis celeberrimis Lapicidinis ad 10. milliaria subministrabãt.

Sed nec minor Latomorum, ad ritè effabricandum lapidum formam, cura fuit. Et nè latior longiorvè mensuræ applicatio, secundùm effusum hujus Provinciæ artificum genium; aut brevior subtiliorvè linearum excavatio; ad rudem quandam firmitatis ostentationem: aut crebra subtiliorũ mutilatio marginum, ob incautam celi applicationem; aut demum ob Vectorum incuriam, aliqua angulorum effractio, contingeret, ea singula sæpiùs ad seduliorem

inspe-

inſpectionem, non ſinè notabili animi perturbatione Directorem Fabricæ permovebant.

Porro maxima atq; principalis cura, ad futuri Tholi elevandi finem dirigebatur; atq; firmitas tam angularium paraſtadum, conicâ Tholi baſim ſuſtentare debentium, quàm internam Eccleſiæ laterum coaptationem, ſolidè conſtringentium, bene ac ſapienter regulabatur. Adeoq; in hunc effectum, omnes quadrati lapides, unius menſuræ, pro more diſpoſiti, ad formam planæ Columnæ elevabantur: quanquam & reliquarum paraſtadum, Sacella lateribus muri Eccleſiæ intertexta, comprehedētium ordo, ſimilibus quadratis Lapidibus firmabatur. Tātuſq; Lapidum acervus, calcis, arenâ, optimâ temperatæ, copia, aquarum putei, accreſcente indies altiùs machinâ, trochlearum aliorumq; mechanicorum inſtrumētorum beneficiò ſurſum aſportabātur; ut non jam Eccleſiam; ſed quandam Civitatem ſanctam, in terris Deo altiſſimo præparari, nonnulli opinarētur. Ità demùm negotium Fabricæ, ad omnium laborantium

pra-

practicam quantitatem dirigebatur; ut nec mallei, nec petitrochia, nec pabones, nec phalangæ, nec vectes, nec trochleæ, nec Tigna ſuper canteriis, nec anſæ, nec Murariorum trullæ, nec dolabræ, nec ſucculæ, abſq; motu quieſcerent; ſed haberent juſtum ad ſingulos hebdomadæ dies, aſſignatum laboris modum.

Ità demum ad utramq; laborantium partem, continuâ quotidianæ directionis attendentiâ laboratum eſt; ut res tandem in eam deducta perfectionem, latomos, murarioſq; ipſos, raram impracticatamq; Artis ſuæ inſtructionem ſuſcepiſſe; ac ſpiritum quendam Intelligentiæ *Directori* Fabricæ aſtitiſſe, cujus motu, è tam vaſta lapidum, indiſpoſitaq; congerie, regularis ſemper ordo ſucceſſerit, palàm ac liberè fateri fecerit. Adeſſe enim Dei Optimi Maximi præſentiam, deſtinatis ad ampliandum ſui Nominis cultum, iiſq; modum ſpiritualis pecuniæ ad opus, juxta conſilium Dominicum conſummādum concedi, è ſacris Patrumq; literis credimus: atq; tunc ardentiùs ad Laudem ejus, fidelium corda inflāmari,

E

mari, cùm insperata Providentiæ Divinæ charismata cœlitùs destinantur.

CAPUT V.

Tecti supra Ecclesiam applicatio, & Navis, seu Chori Minoris, internus Ornatus.

HAnc exactam *Directoris* Fabricæ solicitudinem, petræ, calx, lateres, domi in dies præsentem tenebant; & extra, abietes, pini, trabibus Tecti Ecclesiæ applicandi, locum sibi destinatum cooptabant. Videbatur nonnullis muri quaqueversus crassities ac firmitas, fornicem Ecclesiæ ritè clausum, ad instar Græciæ, Latiorumq; operum, sub dio securè conservare posse. Verùm crassior humidiorq; aëris in hac Provincia constitutio, & praxis tot sæculorum tractu probata, semper ad Tectum ritè construendum, Directorem permovebat.

Duplex laudatur in his Provinciis, Isoscelici figurã Triãguli præsentãtis Tecti, forma; una altior ad verticem coëuntium laterum, acutiorem angulum constituentium; altera inferior, cujus vertex obtusangulus est. Prior à Gothis introducta, mirum in modum firma, nullum prorsus mortis, (quæ etiam saxis inest,) facilẽ accessum præsefe-rens, crebris internè trabium ligaturis involuta, rariores arbores absorbet. Altera ad verticem, nisi parallelâ ipsi basi, trabe, & adjacentium hinc indè duorum scalenicæ figuræ substaculorum coordinatione commodior, ad exsiccanda nonnunquam Ecclesiæ apparamẽta plurimùm apta, recentioris modi habet approbationem. Hanc placuit ad acutiorem paululò formam, supra fornicem, inprimis Minoris Chori jam peractam, toti deinde Ecclesiæ cõcinnè regulare. Atq; ut in Urbem Trabes oblongiores ac Tigna per crebrum Portæ arenosæ, plateæq; muro adjacentis, flexum, commodè & absq; sumptu introducerentur, Phalangæ & cylindri facilem dederunt methodum; ut forinsecùs trans portam Civitatis, Trabes singulæ ritè ad Tecti figuram effabricatæ, suis deinde juncturis solutæ, ad ipsum Tectum trochlearum, peritrochiorumq; beneficiò pertraherentur.

Post-

Poſtquam Minoris Chori tectus fornix, imbricibus apprimè cõtectus clauderetur: etiam internè decus rarum aliquod, quô orantium in Domo Domini corda inflammarentur, ſolicitabat. Adfuit decretoria quædam *Directori*, ad fornicis concavam ſuperficiem gypsô incrustandam, & pulcherrimâ cælaturâ inveſtiendam, reſolutio. Igitur in hunc finem plures Stuccatoriæ artis Magiſtri commendabantur; quorum excellentia in Varſavienſibus quibuſdam Palatiis opera, atq; in nonnullis ibidem Eccleſiis, præclariſſima artis exempla commẽdabantur. Cæterùm ingeniũ acutiſſimũ, & ad placitum *S. R. I. Principis Lichtenſteinii*, olim Epiſcopi Olomucenſis, continuò habitum, *Nobilis Balthaſaris Fontana* Comenſis, conſtantem animi tenorem *Directoris* permovit; ut viri illius, cujus florentior ætas, & ad omne perficiendum opus præmeditatus animus, laudaretur, (editô pulcherrimô ſuæ artis, *Vielicijs* in Sacello *Illuſtriſsimæ Morſztynianæ Domûs*, documentô) manufacti, cælatiq; labores, ad Eccleſiæ ornamentum affigerentur. Requiſitus ille unâ alterâve Epi-

Epiſtolâ, ac ſeriò animadvertẽs exemplũ poſteræ ſuæ famæ ſibi parari in ea Urbe, illoq; loco, ad quem reliquarum Provinciarum Regni, manufacta opera, veluti ad Cenſorem æſtimatoremq; ſuum confugiunt, ocyùs aſſumptis quibuſdã ſuæ artis Sociis, Cracoviam venit, examinatoq; futuri laboris ſui locô, ornatûs Inventionem, diſpoſitionemq;, quam ad loci capacitatem prudenter & commodè applicaret, deſideravit. Hanc à *Directore* Fabricæ accepit; & eidem magna animi cum jucunditate, mentem manumq; hilarem, ad futurum Eccleſiæ ornatum, ſuiq; ſingularem cõmendationem, applicavit, præſentata inprimis Monogrãmæ diſpoſitionis icone.

Inventio hæc fuit: Diva ANNA (cujus nomine Eccleſia intitulatur,) in ſua Domo Hera, hoſpitanti Sanctiſſimæ Filiæ, cum ſuo æterniq; Patris Filio, Myſterium Salutis humanæ, ab Incarnatione ad ipſam glorioſam Reſurrectionem, Apocalypticis ſignis expreſſam, ſupra concavam fornicis ſuperficiem præſentabit: ipſa in Altari Mettertia, Sanctiſſimum MARIÆ Filium adorabit;

Gene-

Genealogiamq; ejus, ad Divi Matthæi Sanctum Evangelium, circumcirca Zophorum insidentes Cælestes Genii cælati præsentabũt: in media verò Zophori facie, pictura cælaturis intermixta, trium ultimorũ Psalmorum laudes, Symbolicè ad Gloriam Dei Patris, figurabit; & alia infra dicenda adornationis series, & ordo applicabitur.

Principium igitur alti, levatiq; Cælatorii laboris, in tres Chori Minoris, ad trium collateralium positum fenestrarum, superficies divisi, successit prosperè. Fecit Vir præstantissimus circa intermediam fenestrã illius nimirum parietis, qui utrumq; Chori latus diagonaliter claudit, decoram svavemq; circumferentiam, in cujus vertice effigiem Dei Patris miserentis, ac cuncta svaviter gubernantis, efformavit; mediam, inter duos ab utroq; circumferentiæ angulo, festivè inclinatos Celestes Genios; & ab uno circumferentiæ latere dextro, Virginis Beatissimæ meditantis, & ad adorandum compositæ, statuam; à sinistro verò, Gabrielis Archangeli salutantis, iconem; novâ, nec visâ hactenus, pulcherrimæ dispositionis

nis formâ, & ad affectum suaviter permovente, Mysterium Annuntiationis expressit. Porro in concava fornicis priori superficie, ex Ovali rectâq; figurâ composita, Superadventum Spiritûs S., in assistentia cælestium Geniorum, venustè efformavit: in tertia, Nativitatem Christi, à Pastoribus adorati, cælavit; flores, fructusq; cœlestium gratiarum festivè & symbolicè defluentes circumcirca, ac maximè iis arcubus, quibus fenestrarum lumen in Ecclesiam diffunditur, accõmodando. Mediam superficiem *Nobilis Carolus Danckwart, Nissensium Accola*, ad recentia probatissimus Author, æquè ac laudatissimus Pictor, ob præclara suæ artis Częstochoviæ, plurimisq; in locis celeberrima documenta, specialiter Cracoviam vocatus, Mysteriô Beatissimæ in Cælos Assumptæ, cõvolantibus hinc indè cælestium Spirituum choris, adornavit: insuper 4. Arcus superficiales fenestrarum, Devotioni, Adorationi, Oblationi, Sanctificationi accõmodos, ad singularẽ mentis solertiam expressit, reliquis duobus arcubus figuratè cælatis: Zophorumq; ipsum Symbolis trium ultimo-

morum Psalmorum depinxit. Ad basim verò fornicis, fenestris incumbẽtis, quatuor Regni hujus S. Patroni, in tabulis deauratis, per quatuor totidem Genios arte stucatoria, præsentantur; super fenestræ arcus, itidem duo, per duos; & in Epistylio assidentium Angelorũ varietas, Genealogiam *Christi ad S. Matthæi* Evangelium recensentium, mutuòq; respondentium, est expressa; eo ordine ut à latere sinistro, seu cornu Epistolæ, Genealogia incepta & per integrum, totius Ecclesiæ, Sacellorumq; transversorũ Zophorum, artificiosè disposita, ad ipsum Evãgelii cornu Altaris Majoris, festivè è manibus Cœlestium Geniorum per dependentem schedam claudatur illud Evangelii: *De qua natus est IESUS.*

CAPUT VI.

Sacellum & Sepulchrum, Beati IOANNIS CANTII.

PUlcherrimum artis exemplar omnium ferè intuentium oculos ad se pertraxit, animosqué supernè demirantes, ad gravem

vem quendam, svávemqué perduxit stuporem. Novitas enim operis raró quidem his in partibus prædicata, & ipsi naturæ præter spiritum pár, comprehendi, absq; insigni Laudis approbatione, ab ipsis etiam, qui genium artis intelligerent, improvisò haud poterat; tandem benè præconcepta, in momento, rarissimis quibusdam Statuarum Iconibus, per Vrbem plurimis piis, sanctisq; locis, dicatis, pretium fecit & æstimationem. Præterea, quod sanctè optabatur, insignium virorum corda, ad decorem Domûs Domini intensiùs inflammabat, trahebatq; dulcedine operis, ad simile conthema laudis dedicandum. Vnde perprimis *Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus CASIMIRUS à Lubna LUBIENSKI, Episcopus Heracleensis, Suffraganeus & Administrator Diœcesis Cracoviensis*, Præsul Magnorum in Ecclesia & Patria meritorum, Sepulchrum D. IOANNIS CANTII designatum, in suam expensarum curam suscepit; hujus Sancti tumulum adornare cupiens, cujus pientissimum monitum, ac purissimum vitæ exemplar, sanctiùs ad observationem cordi suo pridem impresserat.

Invenerat haud itá pridem *Dominus Director Fabricæ*, in montibus Eremiticis *D. Salomeæ* Virginis

ginis, Marmor album, eo ipso tempore, quô Ecclesia S. ANNÆ ædificari cœperat: illud, ad ornatum D. IOANNIS CANTII consecrandi desiderium fuit: sed optata applicatio defuit. Latiora enim adinstar tabularum, post delectum Montium, marmorum frusta reperiebantur; quæ Portis tenuioribus, planis Altaribus, Tabulis Sepulchralibus, non nisi apta censebâtur. Mens autem constans fuit, Sepulchrum *Beati*, quatuor principalioribus altis Columnis, quandam imitationem Columnarum Divi Petri, in Vaticano Romano, præsentâtibus, adornari. Igitur profundiores montium fossæ tentatæ, tamdiu aperiebantur, quamdiu mensura & quantitas crassitiei columnarum accommoda, mirum in modum ità Domino disponente, non inveniretur. Excavabâtur ingentes & crassissimæ marmorum partes; quæ deinde ad mensuram Columnarum, beneficiô ferreorum cuneorum dissectæ, ac in longum mirum in modum divisæ, formam spiralibus lineis comprehensam, compositi ordinis Columnam acceperunt. Tales Columnæ quatuor Cracoviam advectæ, super fundamento, in medio Sacello & ad designatum locum firmiter posito, erectæ sunt; quibus bases apprimè innixæ, Stylobatas mediô pulcherrimis florum Mosaicorum

icorum crustis intertextas sustinent: iis plinthides; tori deinde columnares; ac ipsæ demum quatuor Columnæ pares, 14. cubitos altæ, ad quatuor quadrati Altaris angulos insident: Columnas, peristylia & Capitella; hæc, Epistylia; illa Zophori rubeo Marmore adornati; hos, insignes Coronides ornant: omnes nimirùm hæ partes recêsitæ, à basi ad coronidē albæ Marmoreæ sunt. In prioris Columnæ coronide S. IOANNES Baptista; ex adverso S. IOANNES Evangelista; in tertia S. IOANNES Chrisostomus; in quarta S. IOANNES Damascenus; elegantissimis cælati, sculptiq; statuis spectantur.

Quatuor hæ Columnæ, raræ magnitudinis, venustissimis flavi, cæruleiq; coloris venulis à natura ipsa vestiti, Marmoris albi, spectatorem in admirationem continuò pertrahunt; eò quòd in altum solidè elevatæ, liberè sinè ligaturis, adinstar antiquorum monumenta trophæorum, vigeant: & quòd in his partibus, è tam diu absconso marmore elaboratæ, normam & exemplar dare velint, similibus aut excellentioribus Columnis, hujus Provinciæ Basilicas adornandi. Nuncupatur Marmor hoc, *Marmor D. Salomeæ*, à loco Eremitico *D. Virginis Salomeæ*. Cùm primùm ad Ecclesiam S. ANNÆ ad ornatum Se-

pulchri D. IOANNIS CANTII, advectum fuisset, allusit *Director* Fabricæ his versiculis:

Virgineum marmor tribuit Salomea Ioanni;
Immaculati ambo; candor utrumq; decet.

Isto marmore, ipsum quoq; Altare quatuor amplissimis innixum gradibus, & inter quatuor præfatas Columnas positũ, totum accurato opere effabricatum est, atq; erectum; ut commodum ambitum circumeuntium hominum comprehendere posit; ac in eo loco situatum, in quo ad demolitionem antiquæ Ecclesiæ, & nova fundamenta elevanda, magnô Vniversitatis gaudiô, inventa fuerat stannea Tumba, eam terram in se continens, quæ circa primævam Sacri Corporis elevationem fuerat conseruata.

Quatuor Doctorales Statuæ, quatuor Facultatibus Vniversitatis assymbolæ, habitûs Academici formâ ornatæ, Tumbam, humeris sustentant. Tumba ipsa marmorea, Mosaici operis marginibus, & intermediis florum tabellis exposita, Sacrum Depositum *D. Patriarchæ* in alia stannea, & in ea sericea, utraq; occlusa, sigilloq; Præsuleo *Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, CASIMIRI à Lubna LUBIENSKI*, Heracleensis Episcopi, Suffraganei & Administratoris Cracoviensis munita, continet. Supra Tumbam, aliquot

aliquot Cherubini nubeculis, alisq; cooperti, lumen æreum deauratum, affabrè diffusum dilatatumq; sustinent.

Circulum Luminis Agnus Apocalypticus possidet, à Statua superiori, primæ Columnæ D. IOANNIS Baptistæ, digitô monstratus, & sub Lumine æreo à Cherubino excellentioris formæ expansa Inscriptio, vitam D. Patriarchæ Agno Cælesti dicatam clarificat: *Et lucerna ejus est Agnus.* Antipedium Altaris Mosaicum totum viventium varietate florum copiosè ad svavitatem, & dulcedinem ità elaboratum; ut quandoq; infantium desideria ad cupiditatem, fletumq; dum illud seriò inspiciant, cum adstantium admiratione pertrahanrur.

In fornice Sacelli fructus, floreiq; cælestium gratiarum acervi, inter Cherubinos festivè dispositi, majores minoresvè superficiales circulos cælatos constituunt. In majori concava superficie, Misericordia ingeniosè & excellenter depicta, D. Doctorem ad visionem beatificam, velo cælestis gloriæ detectô, in assistentia cælestium Geniorum iutroducit: atq; hinc inde, inter circulos minores, Cherubini cælati, deauratiq; inter alios intermixtim picti, Insignia laborum Academicorum, ornatum Professionis, ejusdem sedulitatem, atten-

tendentiam, & vigilantiam, symbolicè præsentantes visuntur. Collateralis verò dextra superficies, palmis, laureis, arbustis, ad architectonica ornamenta copiosè circumducta, Miraculum aquæ in Lac versæ, è vita *S. Professoris* assumptum, exhibet cum Inscriptione; *Qui fecerit.* Opposita, similibus ornata structuris, D. Doctorē scribere Commentaria in Evāgelium *S. Matthæi* cum Inscriptione: *& Docuerit*, demonstrat. Porro ante basim Fornicis supra Coronidem ad utriusq; superficiei Latera, duo ex una, & duo ex altera parte, Sancti Latini Doctores sculpti perhibentur. Similiter in diagonali, (quod fenestram altè adornat,) Sacelli latere, *Principis Apostolorum* visio ad gentes ex *Act: Apost cap: 10.* ex una, ex altera verò parte Conversio *Doctoris Gentium D. Pauli*, artis Stuccatoriæ insigne documentum præseferunt.

Porro Parastades picturâ exornatæ, coronis, & Zophorus, eô, quô in Chori minoris videntur ornatu, fulgent. Intra parastades, unius alteriusvè lateris, duo itidem è vita B. IOANNIS CANTII, assumpta Prodigia depicta patent, scilicet in sinistro Sacelli latere, donatio Vestis propriæ pauperi media hyeme facta: in dextro, ejusdem à *Beatissima Virgine* perceptio. Medium

dium Diagonale latus; excellentem ficti nigri marmoris circumferentiam, cum nonnullis supernis Cherubinis, laurea serta, ramosq; præsentātibus, loculamentum majus continet, cum intra pictis manu *Nobilis Innocentii Monti Bononiensis*, Pictoris acutissimi: Sanctificationis, Dedicationis, Orationis, Angelicis Symbolis.

CAPUT VII.

Sacelli Sanctæ Crucis, & adjacentium trium Sacellorum ornatus.

LOngitudinem Templi, intermediante Tholo, duo majora Sacella S. CRVCIS & B. IOANNIS CANTII, ejusdem cum Ecclesia latitudinis, altitudinisq; dividunt, suntq; ejusdem brachia. Dextrum situm tenet Sacellum S. Crucis, à quo lineari perspecto transitu, tria minora adinstar Tholorum evecta Sacella, in eodem Ecclesiæ latere, ad intuentium jucunditatem conspiciuntur. Sinistrum situm Tria pariter cum majore Sacello D. Cantii constituunt. Situm dextrum penna priùs assumit: nam & artificum manus, eundem priùs evexit ad ornatum, deditq; singulare beneficentiæ, ad reliqua pro-

prosperè finienda, incitamentum. Nimirùm, ut nova omnia monstrarētur: nevè aliqua præteritorum, antiquæ Ecclesiæ relictorum quorundã Altariũ, incōmoda fieret positio; novum exēplar positum est. Adeoq; primum à foribus Sacellum ipsemet *D. Director Fabricæ* Honori S. Sebastiani Patroni sui exstruxit, fornicem circularem, adinstar sacellorum Ecclesiæ Paduanæ S. Iustinæ, applicando. In eo sacello, *Excellens Stuccator Fontana*, Altare permodũ serti nubiferi Cherubinis adornati, & ad fenestram usq; gloriâ cælatoriâ evecti, mirificum exstruxit: ad utrumque serti latus, Cherubinum admirantem, dolentemq; super Passione D. Martyris, manu tenentem elegantem Tabulã S. Sebastiani, operâ *M. Pauli Pagari Mediolanen.* pictã; & supra Tabulam Genios cœlestes palmaria Martyris signa portantes, ad gloriam applicavit. Sedem Altataris, nè spatium transeuntium incommodaretur, brevem statuit, quod Antipendiô, Mosaici ficti marmoris, albô inclusi, adornavit. Et in uno Sacelli latere Historiam S. Alexii Romani, in altero S. Rochi, pulcherrima cælaturâ expressit. Fornicem verò, Cherubinô sculptô, deauratóque, cum expansa venustissima palma implevit: &

ad para-

ad parastades, arcusvè, festiva D. Martyris insignia, è vita ejusdem Sancti assumpta, opera Pictoria *Domini Caroli Danckwart* adauxit. Hoc *Sacellum* motivum dedit præsenti, nec hactenus viso, futuræ Ecclesiæ ornatui.

Igitur *Sacellum Sanctæ Crucis* piæ dotaverunt manus. Cujus ornatus est talis: Altare totum Gypso marmoreum, quatuor marmoreis innixum gradibus, ad Diagonale Sacelli latus erectum, Mysterium Depositionis è Cruce, mirum in modum gypseis adornatum Statuis repræsentat: hinc *Diva Virgo Mater*, in agoniam versa, & Divini excessum amoris meditata, lacrymisq; perfusa, Crucifixi tenere corpus; illinc præ magnitudine doloris *S. Ioannes Apostolus* ad stuporē stare conspicitur: hinc aliquot Cherubini tristes, Christi adorare vulnera; illinc plures, signum Crucis in cœli gloriam elevare, & ad compassionem intuentium animos movere visuntur. Porro Dextrum Altaris latus excellentissima *D. Veronicæ*, sinistrum vero *D. Longini* elegantissima statua ornat: è coronide Altaris Cherubini suaviter marginibus innixi, magnalia Dei censere videntur. Desuper amplissimorum Lumen radiorum, cum effigie Dei Patris miserentis, à S. Spiritus Symbolo, inter

Cheru-

Cherubinorum capita, ultra coronidem Ecclesiæ longè lateq; diffunditur. Ad fenestræ latus utrūq; Mosaici Cherubini, nimirum altiores, ad scenam doloris positi sunt. Fornix Sacelli gloriosissimâ in Cælos Ascensione, depictus est: & ad Basim utriusq; partis, duæ è veteri testamento Figuræ, *Abraham* unigenitum suum Deo dicantis; & *Serpentis* in Deserto per *Moysen* elevati, pictæ repræsentatur. Picturam utramq; Geniorum cælestium ad quoddam obsequium, & explicationem nativam, accommoda dispositio stuccatoria adornat. Infra coronidem *Sacelli*, & Epistylium, duo superficiales arcus, ejusdem proportionis & magnitudinis, cujus sunt in sacello D. IOANNIS CANTII, Inventionem Crucis per *D. Helenam*; & Exaltationem per *Heraclium* Imperatorem, ad vivum Historiæ exemplar, demonstrant.

Sacellum D. Petri proximè Sacello transversali S. Crucis adjacet, talem fornicis formam præseferens, quali Sacellum S. SEBASTIANI clausum est. Venustissimum accepit ornamentum à beneficentia *Perillustris & Reverendissimi Domini*, PETRI ORŁOWSKI, V. I. Doctoris, Protonotarii Apostolici, Canonici Cathedralis Cracoviensis, Præpositi Infulati Tarnoviensis, viri in Ecclesia DEI meritissimi, ac immunitatis Ecclesiasticæ conser-

conser-

conservatoris zelantissimi, Honori Principis Apostolorum Patroni sui sacrum. Altare ejusdem Sacelli, in rariorem artis formam, dispositum, festivis Architectonicis splendet figuris, continens medio eleganter pictam Tabulam *S. Petri*, in carcere Hierosolymitano Angelum auscultantis. Vtrumq; Tabulæ latus, excellentioris operis duo Cherubini, ad admirandum magnalia Dei dispositi visuntur; supra Tabulam cælestis Genius potestatis supremæ insignia præsentat, in volante folio, referente verba Domini: *quodcunq; solveris, erit solutum.* Fornix Ecclesiæ raris adornatus Cherubinis deauratisq;, Ecclesiæ insignia cælata habet, deinde vocationis ad Apostolatum, tum & Passionis Symbola, scilicet Retia, Claves, Crucem & Gallum, ad angulares fornicis arcus præsentat. Sacelli verò latus primum, insignem sculpturam ad instar æris laminâ coopertam; cum expressione Collationis Clavium Regni cælestis; alterum ex adverso situatum latus, S. PETRI primum in Templo Salomonis Miraculum, quô Claudi protinus consolidatæ sunt plantæ & bases, apprimè repræsentat. Inter arcus parastadum, Genii cœlestes *Principis* Apostolorum dicta recensent, ut sunt: *Amo Te, peccator sum, non sum dignus,* in festivam Naviū, Retiumve, ad ipsas

 bases

bases pendentem cælaturam. Porro Altaris mensa, Antipendiumq; marmoreum Mosaicis florum ornamentis præstantissimè est dispositum.

Sacellum Sanctæ Catharinæ *Virginis Martyris*, Philosophantium Patronæ inter Sacella *Sancti Petri & Sancti Sebastiani* medium, venustissimum cum Lucerna insidente, Tholum, plumbi laminâ contectum habet, adornatum à munificâ manu, *Perillustris Reverendissimi Domini* REMIGII SUSZYCKI, V I. Doctoris, Archidiaconi Crac: Scholastici Lencicen: &c. Viri literarũ plenitudine celeberrimi, & in iis, quondam, Serenissimorum Poloniæ Principum, ALEXANDRI & CONSTANTINI, Gubernatoris. In hoc *Sacello* situatum est Altare, Divæ CATHARINÆ Virgini & Martyri sacrum, censuq; perpetuo dotatum, arcu architectonico, cum statua eiusdem Divæ Virginis accurato opere ornato. Latera Altaris, duæ partitæ porphyrianæ Columnæ, artificiosè inventæ, cum dispositis supernè elegantissimis Cherubinis commẽdant. Fornix ipse amplissimis palmarum ramis sculptus, inter concentus Angelorum, animam Divæ Virginis assumẽtium depictus, fulget ad gloriam, svavissimum Lumen beneficio lucernæ ad picta cælataq; opera demittendo. Dextrum *Sacelli* latus, Martyrium Divæ Virginis sub MAXI-

XIMINO gloriosè consũmatum; sinistrum verò, Desponsationem Divæ Virginis, cum Infante IESV, præsente Angelorum Choro, depictam habet. Ad internas perastades, duæ elegantissimæ statuæ, S. BARBARÆ Philosophicæ Facultatis Patronæ, & S. AGNETIS, majestatem Sacelli adaperiunt. Arcus parastadum cælati deaurati, picturísque elegantibus intermixti festivè nitent. Antipedium verò Altaris Mosaicum est operis elevatioris, habens particulam circularem ficti marmoris, argenteis venis insertam, innititur rubei marmoris gradibus, & testellato optimè ad firmitatem pavimento.

CAPUT VIII.

Trium Sacellorum, ad sinistrum Ecclesiæ latus, ordo & ornatus.

AD æqualem mensuræ Architectonicæ dispositionem, tria sinistra lateris Ecclesiæ Sacella, respondent tribus ante dictis, eorumq; fornices fornicibus, & tholus tholo; quod qué summopere curiosam delectet pupillam; est similis; & non idem ornatus. Proximum Sacello D. Patriarchæ, dicatum *Sacellum* est Sancto

Ioanni Baptistæ, *à Perillustri & Reverendissimo Domino Ioanne Przerebski*, Regni Referendario, Scholastico Gnesnensi, Cracoviensi Canonico, divini cultûs amatore zelosissimo. In hujus Sacelli Altari, quadrata Tabula oblongior S. Ioannis Christum Baptizantis, manu, Domini *Caroli Danckwart*, *suaviter picta*, mirè laudatur. Imaginē ficti marmoris, excavatæ pulchris marginibus circumferentiæ, & ad artis ingenium eleganter dispositæ muniunt. Vtrumq; latus, præstantissimæ duæ Cherubinorum, altè orantium, Statuæ adornāt. Primus arcus lateris Sacellici, crudeli spectaculo Herodiadis, discum spiculatori porrigentis, & S. Prophetæ caput cruorémque sacrum sitientis, ad cordis quidem acerbū dolorem, sed ad artis acutissimum spiritum, cælato adornatur. Adversa superficies Prædicationem in deserto, ad fluenta Iordanis, sculpta pariter censet. Fornicem, parastades, earum arcus, genii cælestes picti cælatiq;, cum nonullis Sancti Prophetæ dictis, scilicet: *non Elias, non Propheta, Ego vox clamantis*, inter festiva bidentium fragmenta, silvestrium florum ligamina, clarificant.

Contiguum huic Sacello, & intermedium cum venustissimo Tholo, Honori Immaculatæ Conceptiōnis, Augustissimæ Virginis & Matris Dei, pientissimâ Benefactorum nōnullorum munificentiâ dicatum est. In hoc *Sacello* duæ admirandi operis visuntur Columnæ, 6. cubitos altæ, coloris subviridis, venulis cæruleis albisq; planis intertextæ, porphyrianæ ab aliis, Marmoreæ, laspideæ ab aliis creditæ, ob artis excellentiā nunquam satis laudatæ. Hæ majestuosum efficiunt altare, gradibus rubei marmoris innixum, mensâq; suavissimâ adornatum: cujus medium, Statua Immaculatæ Virginis, supra crescentis Lunæ arcum, inter teneras cæli nubeculas posita, explanat, habēs desuper excavatam, in muro coronam, seu lumen ad instar pictorum radiorum, communicatum. Ad dextrum *Sacelli* latus, Figura *Victoriæ* Virgini Immaculatæ assymbola, in *Iudith* Holofernem necante, artificiosè ad recentia depicta, cum inscriptione: *Una mulier fecit*, conspicitur. Alteram superficiem Historia *Hester*, sub figura privilegii Augustissimæ Virginis, commendat cum Lemmate: *Non pro te sed pro omnibus hæc Lex.* Angulares arcus, deaurati Cherubini cælati, fornicem vero ipsum, chorus Angelorum psallentium pictâ cælaturà cum nonnullis intertextis inscriptionibus: *u Sol, ut Luna quæ est ista*, ad cælestem quandam harmoniam excellenter adornat. In-

Inter parastades, ad faciem Sacelli, duæ pulcherrimæ statuæ SS. IOACHIM & ANNÆ, Parentum Virginis Beatissimæ visuntur, svave quoddam illicium oculis, ad considerandum ornatum Sacelli, incitando. Pavimentũ marmoreum testellatum est, è Rhombis optimô artificiô, elevatas scalas perhibens. Antipēdium Altaris, reliqua, festiva florum varietate elaboratum excellit: in cujus medio, Imago Magnæ Dei Matris, adinstar speculi elucet.

E Regione Sacelli S. Sebastiani, positum est Sacellum S. IOSEPHI Patriarchæ, beneficiis Magnifici ac Generosi Domini, ALEXANDRI MYSZKOWSKI, Tribuni Sadecen: adornatum. Consũmata enim Herois illius rerum cognitio, elegantiorum architecturæ operum amor, munditiei cultus, & erecta ad politioris vitæ dignitatem prudentia; solo decoris Domini ardore, ad exornandum D. IOSEPHI Sacellum trahebatur; ut cùm plenitudine excellentium operum, illius fama alibi clareat, etiam apud literarũ monumēta celebretur. Hujus Sacelli Altare respondet Altari Sacelli S. SEBASTIANI, similem cælatæ gloriæ, circumferentiam, rarioribus insertam Cherubinis, cum Icone D. IOSEPHI, Infantem IESU tenētis adorantisq́, comprehendendo. Antipēdium Altaris

61

taris tenerrimis fructibus, precatoriisq́; globulis, mirè Mosaicô artificiô incrustatum, spectatorem ad sui observationem firmare solet. Latus Sacelli dextrum, Fugam in Ægyptum, Herodianâ contra Infantes persecutione, sculptam continet, sed ea arte; ut *Virginis Beatissimæ* timor ac circumspectio viarum, non minori quàm ab ipsa natura, expressa sit magisterio, ad pervenustā Genii cælestis nubeculis insculptionē: *fuge*. Ex adverso latere, Angeli in somno *D. Iosephum* monentis informantisq́;, simili arte cælata est sancta recordatio, cum viso per Genium cælestem communicato Lemmate: *Surge*. Fornix apprimè picturâ cælaturâq́; adornatus, ad parastadum adjacentium symbola per Arcam Noe, & conservatum Ægypti panem, oculos animosq́; perducit.

Duo insuper minora *Sacella* Choro musicali subjacentia, à collateralibus foribus sita sunt, ut ad Ecclesiam intrantium oculi svaviter accōmodentur ad spectandum mirabilia Dei: ornatus eorundem, arcus nonnisi superficiales sunt, continentes duos Genios depictos cum inscriptione: *Qu àm dilecta tabernacula tua Domine.* & ex adverso *Concupiscit & deficit anima mea, in atria Domini:* ad angulos verò eorundem, fores apparent

parent, quæ & cochlidia ad turres, Ecclesiæq; partem supernam demonstrant.

CAPUT IX.

Majoris Chori, seu Navis Ecclesiæ descriptio.

SOlenni luminis diffusione, etiam jucunda arcuum expansione, Fornix majoris Chori, seu Navis, simul ac ipsa Ecclesiæ pars amplior nitet. Patet adeò præclara permovensq; ad suspiria, ornatûs forma, ad venustatem & ad lætitiam animi, ut cælum dicere, aut cælestium choros Angelorum intueri, plurimi fateantur; ob tam mirifica & exquisita manufacta opera, præsens sæculum celebrando. Inesse enim ipsis sæculis quandam proprietatem & decoris speciem, nemo dubitat; ut in aliis solidas Machinarum ideas, in aliis Mosaici laboris svavitatem, in aliis picturam cælaturæ æmulam, in aliis ardua quædam molimina detecta videamus. Sed ad Chorum redeo. In prima Fornicis fronte, Conicæ Tholi basi mutuò adjacente, supra arcus scilicet columnares, Gloria Religionis nostræ, solatium animæ, Liber vitæ expansus, *Christi Crucifixi* sculpta Imago, ad Ecclesiam quasi demissa,

demissa, conspectui obiicitur. Crux nimirum, quæ per antiquas hujus Provinciæ Basilicas, Trabibus intermediis, aut arcubus imposita, alibi verò ad angulos Ecclesiarum affixa honoratur; in Templo D. ANNÆ principem obtinuit situm; & compositis ad planctum doloremq; excellentibus Cherubinis, elevata est ad majestatem, tali artificio; ut è cælo ipso patientis Salvatoris, miserentisq; effigies, ad humanæ naturæ auxilium inclinari & demitti videatur. Brachia sacra extensa, caput diris compunctum spinis, tota corporis symmetria arida, sola nisi scatere vividis sanguinum rivis, quinq; sculpta vulnera visuntur: in quorum uno ad transfixum latus per Directorem Fabricæ hæc imposita inscriptio. *Vbi est thesaurus tuus, ibi sit & cor meum. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi. Indignus peccator M. Sebastianus, V. I. Doctor & Professor, Canonicus Cracov. Academiæ Procancellarius & Rector, Fabricæ hujus Ecclesiæ Provisor & Director, operâ N. Balthasaris Fontana, Stuccatoris Comensis, Anno Domini 1698. die 27. Augusti posuit.*

Ipse Ecclesiæ Fornix in quatuor ampliores divisus superficies, undequaq; ad arcus eleganti florum fructuumvè varietate, à Geniis cælestibus com-

communicatâ, cælatâ, velut cœlum quoddam conspicitur. *Prima* Superficies, continet Agni cælestis virtutem, honorem & divinitatem, quam svavis tenerrimúsve Angelorum chorus, per insignia Resurrectionis & gloriæ manifestat. *Altera* Superficies, ejusdem Agni, à 24 Senioribus majestuosam adorationem. *Tertia*, Seraphinorum psallentium ante thronum Sedentis, cæleste canticum: *Quarta*, S. Ioannis Apocalypticam Revelationem comprehendit. Quatuor hæ superficies, nunquam satis in arte laudatæ, situm habent, inter parastadum superficiales arcus, venustissimâ nubecularum, geniorumq; cælestium apparitione copiosè ornatos: ad quorũ bases, in ipsa parietum Coronide insidet octo insignes deaurati majores Cherubini alati. Duo priores Crucem adorare spectantur. Alii sex Symbola mystica præsentant. scil: tertius speculum vitreũ, utcunq; tersum cum inscriptione: *sine macula.* *quartus*, splẽdorem solis æneum, cum Lemmate: *Aurora.* *quintus*, Columbam cum ramo Olivæ, cum inscriptione: *Vna. Sextus*, Auroram sculptam, cum Lemmate: *Consurgens.* *Septimus*, Plenitudinem Lunæ, cum voce: *electa.* *Octavus*, Clypeum, cum Lemmate: *mille.*

Inter arcus fenestrales, octo pariter cælestes Bea-

Beatitudines, pulcherrimis iconibus ac Symbolis cuique apprimè additis, ad colorum excellentiam varietatemqué demonstrantur. Supernè verò Genii cœlestes, Beatitudinibus excellenter accõmodi, inter octo Seraphinorũ deauratas tabulas, sculpti insident, arcuum margines florũ venustate adornando. Porro, utrumque intermediæ fenestræ latus, optima circumferentiâ & duobus insidentibus Seraphinis adornatum, atq; fenestræ Chori minoris orthogonaliter oppositum, duæ pariter ampliores Statuæ SS. Ioachim & Annæ ad jucunditatem implent. Elaboratio coronidis, ejusq; Cymatii cum circumducta regularium ubiq; denticulorum, ac reliqua marginum linearúmve dispositione, grandem Cælatorio operi majestatem facit. Zophorus sculptam Genealogiæ seriem, cum intermixtis Symbolis Psalmisticis narrat. Omnium verò parastadum peristylia, mirum in modum composita, recentisq; formæ raram præsentant ideam: nam flores eorumq; folia, altè expansa, ad mensuram Ordinis Corynthiaci spectantur: iis insidet Seraphinum caput, cum florum fructuúmve copia, ad serticei arcûs dependentis svavitatem; ità elaboratum; ut è novitate ornatûs ad quendam considerationis gradum, intuentium per-

pertrahere oculos faciat. Supra paraſtades ad inſtar Columnarum, per Majoris Chori brachia, diſpoſitas, alti arcus viſuntur, in quibus duodecim Sybillarum de Chriſto ſcripta auguria, cum Iconibus earum pictis perhibentur. Paraſtades verò & Pila, 12. Sancti Apoſtoli, 12. Sanctæ Civitatis lapidibus inſidentes, ornant tali ſeriè, ut Genius à dextris Altaris Majoris ab uno pretioſo figurato lapide, reſpiciat Salvatoris effigiem, cum expanſa ſcheda illud Pſalmiſticum referente: *Lapidem quem reprobaverunt, hic factus eſt.* & ſub ipſa Salvatoris Icone claudat ſcriptū: *Caput anguli.* A ſiniſtris ſimilis Genius ejuſdem cōpoſitionis in ſcheda mōſtrat: *Et lapis iſte Iacob vocabitur*, & ſub Icone Beatiſsimæ Virginis clauditur: *Domus Dei* & ſic per utraq; latera Eccleſiæ, SS. Apoſtoli diſpoſiti, Nomina lapidum continent ſubſcripta. Omnes hi pretioſi lapides, ad vivum colorati, Cruces Conſecrationi accommodas, cum incognitis candelabris, affixas habent: ut non magis ad Eccleſiæ majeſtatem, hominum mentes, quàm ad primitivæ Eccleſiæ (doctrinâ & Sanguine SS. Apoſtolorum fundatæ,) ſalutarē introducant recordationem: Chorus Muſicalis compendioſior, ad utrumq; Eccleſiæ latus organicis fiſtulis clarior medium Cantorum diſpoſitioni patefaciet. Al-

Altare majus, *Perilluſtris olim Clariſsimus ac Admodum Reverendus Dominus, M. Chriſtophorus Sowinski*, S. Th: Doctor & Profeſſor celeberrimus, Decanus ad S. Florianum, maximorū in Vniverſitate compendium meritorum, ſumptibus ſuis ædificare fecit. Structura ejus admiranda, nec unquam his in partibus viſa, rarū artificū exemplar demonſtrat.

Sex peramplis marmoreis gradibus Baſis Altaris innititur; ad cujus utrumq; latus, Stylobatæ 4. totidem artificioſiſsimas ſpirales Columnas, optimo periſtyliorum ornatu compoſitas continent. Inter columnas Imago D. ANNÆ, *Metteriæ*, manu Generoſi *Georgii Eleuther* Equitis, Pictoris Regii, velut adamas inter aurum nitet. Coronidem Altaris duo inſidentes Seraphini ornant; verticem verò Lumen deauratum, Cherubinis ubiq; ad gloriā diſpoſitis condecorat cum expanſo libro continente principium Evangelii D. Matthæi. Alas Altaris duo pariter Cherubini ad adorandum compoſiti conſtituunt; reliqui muro incruſtati & ad recentia depicti, cæleſtis harmoniæ inſignia præſentare videntur. Sed ad utrumq; graduum Altaris angulum, duo ſuper firmiſsimis baſibus erecti, adinſtar trophæorū Coloſsi. S. ADALBERTI & S. STANISLAI Epiſco-

pi

pi, Martyrum, Patronorum Regni, ad vivum cælati conspiciuntur; quorum magnitudine & majestate, oculus mediô defixus ad exactiorem operum observationem incitatur.

Colossus Divo ADALBERTO sacer,
Continent Inscriptionem sequentem.
Isthuleo Cymbam Lechi super æquore nantem,
In tutum, sanctô dirige remigiô,
Colosso S. STANISLAI, insculpta est, hæc Inscriptio:
Imperio, Vir Sancte, Tuo parit urna sepultum;
Qui Pater es Patriæ, lausq; salusq; Tuæ.

CAPUT X.

Tholi Majoris descriptio.

UNiversam Ecclesiæ Symmetriã non aliter, acsi caput, humanæ imaginis elegantiam, *Tholus* constituit, ingentibus è secto lapide quatuor Pilis & coluris insistens machina, supernam quandam Ecclesiam, seu ipsum Ecclesiæ lumen & pretium, velut adamas in annulo præsentat. Admirandum opus, quod manus Artificum suprà firmare poterat! Priscum illud sæculum gloriari voluit in Pantheone, mirificæ structuræ circulari ædificio, Romæ ad gentium concursum erecto: Sed hoc ipsum artis monumentum, si hodie supra Basilicam SS. Apostolorum

lorum *Petri & Pauli in Vaticano*, ad eandem mensuræ magnitudinem & qualitatem, firmiter positum cerneret? quid judicaret aliud, quàm indies hominum mentes ad perfectionem habilitari, atq; incitamentô laudis ad majora molimina elevari. Non absimilis, minor longè quidem, *Tholi* magnificentia supra Ecclesiam S. ANNÆ apparet; cujus laterum figura, octangula est; vertex circularis oblongior ad proportionẽ & necessitatem: vertici insidet Lucerna, seu minor ad similem figuram trasparens Tholus, pari vertice circulari tectus & coronâ circumdatus. Supra verticem ardet globus elegans portans Crucem deauratam, sacrisq; reliquiis munitam, in cujus medio intra, ad festivum ejus ascensum, hæc inclusa est Posteris inscriptio.

Anno ab Orbe Condito 5652.
ÆRÆ Christianæ 1703.

UNiversitatis Cracoviensis,
per CASIMIRUM Magnũ erectæ,
Anno 342.

 per

per Divum VLADISLAUM Jagelonem, in Urbem deductæ, & Legib' firmatæ, A. 303.
Ecclesiā Christi in terris militantē felicissimè gubernāte.
Sanctissimo Domino Domino Nostro,
Divinā Providentiā CLEMENTE Papa XI.
Apud Sanctam Sedem Apostolicam,
Regni Poloniæ Universitatisq; Nostræ Protectore,
Eminentissimo & Reverendissimo
FRANCISCO Episcopo Portuensi, S. R. E. Cardinale BARBERINI.
Ad Serenissimum verò & Potentissimum
AUGUSTUM II.
Poloniarum Regem, M. Ducem Litvaniæ, totamq;, Serenissimam Rempublicam Polonam, Apostolico cum Facultatibus de Latere Nuntio,
Illustrissimo ac Reverendissimo,
FRANCISCO PIGNATELLI, Archiepiscopo Tarentino.
Anno, quô Diœcesim Cracoviensem,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI,
Episcopus Heracleensis, Suffraganeus & Canonicus Crac: Sede vacante, Generali potestate Administratoria regebat.
Quô Regimen Literarum Academicarum,
In Generali hujus Regni Schola,

Studii Cracoviensis feliciter moderabatur, M. ANDREAS KRUPECKI, J.U.D. & P. Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omniū Crac. Custos, Contubernii Philosophorum & Roszczevianus Provisor, Canonizationis Beati JOANNIS Cantii Procurator.
Quô Perillustris & Reverendissimus,
M. SEBASTIANUS PISKORSKI,
U.J.D. & P. Ecclesiarum Cathedralis Crac: & Collegiatæ Vielunensis Canonicus, Generalis omnium Facultatū in Universitate Cracoviensi Procancellarius,
Fabricæ hujus Ecclesiæ Provisor, & singularis Curator, Director, & Promotor.
(Post jactum primi Lapidis benedicti,
Per Illustrissimum & Reverendissimum olim
JOANNEM de Małachovice MAŁACHOWSKI Episcopū Crac: Ducem Severiæ ejusdem Ecclesiæ S. ANNÆ insignē Benefactorē, ritè celebratum)
Coronam operis, necnon
Apicem hunc posuit & consummavit.
Annô, quô Siclus aureus,
quem vulgus florenum rubrum nominat, seu aureus Hungaricus, æquivalens pondus

aurei hujus Regni, Hollandici, Imperii, Cekiniqué Veneti, ad 15. in Regno currentis monetæ florenos permutabatur: Quô Scutum argenteum, seu Imperialis cujus, florenos septem, & grossos 6, seu Tynfones sex: tynfo verò unus, florenum unum & grossos 6. valebat.

GLOBUS HIC ÆNEUS,
Seu Cupreus deauratus,
ponderans dimidium talenti æris Attici,
in Coronidem hujus Ecclesiæ feliciter assurrexit 11. Iulii; Comprehendens desuper è proportione pyri fructus arboris, pomorumq; affabrè factam benedictam Crucem deauratam,
in cuj⁹ benedictæ Crucis superiori globulo,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI, Episcopus Heracleensis, Suffraganeus, Administrator Cracoviensis;
Reliquias S. CRUCIS, S. JOACHIM, & AGNUS DEI INNOCENTII XI.
Ipso festô Ascensionis Domini die, qui fuit 17mus Maii,
inclusit & obsigillavit.
Ut hæc Sancta Monumenta

Opus

OPUS HOC INSIGNE,
Solâ Divinâ Providentiâ, non aliàs nisi piis plurimorum Benefactorum eleemosynis, Universitatisq; Cracoviensis suppeditatis charitativis, iisq; exiguis subsidiis.
BASILICE ERECTUM,
Ab ipsis hostibus Suecis, eorumq; Rege plurimi æstimatũ, contra invidiam temporũ diu integrum,
tueantur continuò, atq; defendant.

Artifices hujus Operis fuêre
Sub Regimine & Præsidentia,
M. SEBASTIANI PISKORSKI, J.U.D. & Prof. Canonici Cracov. &c. hujus Fabricæ Directoris & Principalis Architecti,
Nobilis Franciscus *Solari*, à fundamentis usq; ad tectum Architectus;
Nobilis Balthasar *Fontana*, Comensis, Tholi Architectus, & Ecclesiæ quaq; versus Stuccatorii Operis manu propriâ Cælator & Author, unà cum Fratre suo Francisco Fõtana, Olomucii defuncto, in Choro Minore ingeniosissimo Coadjutore & cooperatore, cum aliis sociis in arte Stuccatoria peritis Italis.

Pi-

Pictores.

Nobilis Carolus *Danckwart* Eques, Nisſensium Accola acuratiſsimus & primus picturæ adrecentia artis, in Urbe author excellentiſsimus.

Nobilis Innocentius *Monti* Bononienſis, Inventor acutiſsimus.

Lapicidinæ pro Tholo integro & periſtyliis in facie Eccleſiæ, fuere Montes Pinczovien: Marchionatûs.

Pro Columnis & quadratis Baſium, & reliqua neceſſitate. *Montes Myślenicenſes.*

Gypſum Diviná Providentiâ inventum ipſo tempore, quo Stuccatoriæ artis ornatus in Ecclesia aſſurgere debuerat, ſuppeditavit *Tonie*, Fundus Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis & *Mons Koniuſsa.*

Marmor album, Authore *M. Sebaſtiano Piſkorſki*, Fabricæ Directore &c. ad hunc propè finem inventum, dederunt *Skála Oppidi* Montes cis Cracoviam, Fundus Religioſarum ac Deo Dicatarum Virginum, Conventûs S. Andreæ Crac. Regulæ S. Claræ. *Gryſeum* Authore eodem Fabricæ Directore, Montes *Regulice*, Fundus earundem Religioſarum Virginum.

Nigrum Marmor ſuppeditavit Mons *Czerny*, *Rubrum* Chęciny Montes. Reliqua Marmorum Fruſta effinxit ingenium Nobilis *Balthaſaris Fontana* Stuccatoris, cujus induſtriâ Deo ità diſponente, fictum per totum Regnum Marmor invaluit, ut ſimilitudinem ornatûs hujus Eccleſiæ, reliqua opera imitarentur.

Pro tot tantisque beneficiis acceptis,

Soli DEO

Ab omnibus Benefactoribus, Authoribus, Artificibus, atq; Univerſo populo, hanc Baſilicam admirante & contemplante,

Sit gratiarum Actio,

Honor & Gloria,

in ſecula ſeculorum,

Amen.

Globo impoſitus eſt typo, valens æreæ monetæ groſſos triginta ſex: item ſexto, continens groſſos 12. Triens antiquus, ſeu groſſus hodiernus Cæſareanus, comprehendens in ſe groſſos currentis monetæ ſex: tres ſolidi ærei ſeu obuli in unum groſſum appoſiti & dimiduum ſcutum, quod præfata numiſmata, tripla, ſexdupla, & decupla proportione menſurat. Porro

POrro internus *Tholi* ornatus, totus gloriosus est. Demittitur ab alto ingẽs venustissimúmq; lumen; & ara oblationis, in summo vertice à Cherubinis extollitur. Diffunduntur ardentes aurô luminum scintillæ; & in momento cooperta Cælestis gloria, in octo divisa, occulto artificiô ordines, circumspicitur. Adstat ad Sacratissimæ Triados, Cherubinis erectum solium, augustissima cœlorum Regina, in vestitu deaurato, continuò pro humano genere interpellans, Advocata nostra. Hinc D. *Ioannes* Baptista, cum laudabili Patriarcharũ numero, laudes cẽsere; illinc sacer Apostolorum Chorus gloriari; hinc Martyres, triumphales palmarũ ramos, & læta victoriæ Insignia dilatare; illinc Episcopi & Doctores sacras extollere exedras: hîc Cõfessores: illinc Virgines laudare: tandem circa Agnum in Ara cubantem, tenerrimus olim immolatorum grex, nascentibus rosis, palmis & coronis ludere, conspiciuntur. Supra ac infra, Angelorum numerus micantis Regiam cœli, suavi coordinatione implet, & festivis quibusdam nubeculis, ad ipsam Tholi parastadum

stadum

stadũ basim, gloriã eminus cõmunicare videtur.

Infra talem cælestis visionis suavitatem, stant 16. optimis ornatæ florum foliis parastades, duæ ad quodlibet octangularis Tholi latus: ipsa verò latera alternis divisa formis, quatuor fenestras, totidemq; forulos constituunt. Fenestrarum margines ferrei, ob firmam temporis diuturnitatem effabricati sunt. Forulos verò, quatuor Generalia Concilia sub Angelorum specie, apprimè implent & ornant. Basis coronidalis ad circumeundum Tholi ambitum, peramplo spatiô accommodata, insidet conicæ coronæ, quæ fornicis Ecclesiæ altitudinem dispositionemq; anteferre videtur. Huic ad angulares bases, quatuor Cardinales Virtutes depictæ, faciunt quandam magnificentiæ imaginem, quâ mediante universus Ecclesiæ decor sursum oculos pertrahit, ad glorificandum magnalia Dei. Et talis interna externaq; Tholi facies, velut, è nubibus apparens ad gratiam & plenitudinem gloriæ, conspicitur ordo.

CAPVT XI.

Facies Ecclesiæ, seu Prospectus exterior describitur.

QVi penitiùs Ecclesiæ faciem, intuentur, majestuosum quoddam Altare Domino

K erectum

erectum putant. ità enim universa Symmetria partium accommodata nitet: ut minimus lapis suo clarere ornatu censeatur. Porta Ecclesiæ, novum opus, & albi marmoris prodigium est. postes, profundioribus concavis superficiebus altioribus, itidem convexis ornati, ad instar spiralis lineæ basim, verticemq; solidantis, suo fundamento insident, firmos venusti laboris Cardines continendo. Quatuor deinde altissimæ Columnæ, è secto lapide, fortissimis peristyliis & Capitellis bene adauctæ, faciem Ecclesiæ antestare perhibentur. Pila deinde & parastades ejusdem lapicidinæ, suis locis ad ordinem adaptatæ, similibusq; quibus in Ecclesia nitent, peristyliis coopertæ, faciem Ecclesiæ ad collaterales minores portas regulant. Vtrumq; angularem Ecclesiæ murum nectunt duæ firmissimæ Turres, undequaq; parastadum ornamentis solidatæ. Epistylium, Zophorus, & Coronis è multo lapide firmissimè tecta, ingentium linearum tractum absorbet. Forulis impositæ sunt duæ excellentes statuæ S. Bernardi, ob gratam accepti Iuris Patronatûs memoriam à *Reverendissimo Conventu Claræ Tumbæ, Ord: Cisterciensiũ*, cum inscriptione: *Mel mirificũ* & D. Ioannis Cantii, cum Lemate: *Dulce Canticum.* Cardinibus minorum Portarũ duo

duo Cherubini optimè cælati insident. supra Portam verò majorem Nigræ Marmoreæ Tabulæ, elegantis figuræ, Inscriptionem Fabricæ Director dedit sequentem.

D. O. M.

Anna Dei Matris Mater mettertia, Templum
Hoc, summæ Triadi fac anathema sacrum.
Si præsens Hera Tu, si tecum Cantius illi
Ædilis! quid eô sanctius orbis habet.
Divina Providentia fecit;
Encœnia operatus est
Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus,
D. Casimirus à Łubna Łubienski,
Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episc: Heracle.
Suffraganeus & Administrator Gracoviensis.
Die - Anno 1703.

Et hic est primus faciei Ecclesiæ Prospectus. secundus & altior, iisdem pilorum, parastadum, linearumvé ornamentis, atq; capitellis pervenustis adornatus, ad ipsam Hoscelici verticis basim coronidalem pertrahitur. In medio lucet amplior fenestra, ad cujus latera in forulis positæ sunt duæ statuæ, S. Casimiri & S. Floriani, Regni atq; hujus Vniversitatis Patronorum: & inter statuas, festiva ignium trophæa, ad instar fumantium vasorum, optimè ornatorum, lucent

 conti-

continuò ad venustatem. Intermedium circularem forulum supra fenestram Statua Beatissimæ Virginis adornat. Reliquus verò superioris coronidis ornatus, ad parallelam dispositionem inferiori respondet; quem vertex tecti, commodus expansusq;, ad Trianguli Isoscelici formam claudit. Lateres verò tam in Facie quàm in transversis Templi brachiis, inter pila & parastades ubiq; excavati miro artificio, in attentiorem intuentium mentes animumq; perducunt animadversionem. Adstantium Turrium ad utrumq; Ecclesiæ latus coronides festiva condecorant lumina, inter quorum radios auro micantia Sanctissima IESV MARIÆ & ANNÆ nomina insculpta præsentantur, sicut & sub ipso obtusangulari vertice Templi, Insigne Divinæ Providentiæ micat, in solennem accepti beneficii recordationem, quâ solâ interveniente, *Templum* hoc ad Dei Optimi Maximi gloriam, cultumq; perpetuum, felicis structuræ, admirandam accepit consummationem.

CAPVT XII.

Introductio Devotionis in novam Ecclesiam.

CVm prima vasta trabalium arborum dispositio minueretur, & tot machinæ cantherius fultæ

ultæ, cùm tabulato cæmentariorum dissolverentur; ipsa Ecclesia avidum populi concursum ad laudem Deo Omnipotenti persolvendam intensiùs avebat; ut antiquum Sacellum vicinum novæ Ecclesiæ prorsus vacaret. Imminebat festus S. ANNÆ dies mirum in modum populo solennis: hunc novo Introitu condecorare ingens desiderium fuit. Igitur acceptâ ab *Illustrissimo & Reverendissimo Domino* Loci Ordinario facultate, ipso die S. IACOBI Apostoli mane summo, *Dominus Director* Fabricæ Ecclesiam novam benedixit, ibidemq; ad Altare majus Deo suaviter omnia gubernanti, per oblatum Missæ sacrificium, solennes gratias egit. Hoc suave primumq; illicium fuit toti Vrbi ad inchoandam D. ANNÆ solennitatem, ut ejus die Ecclesia faustum accipiat devotionis exordium, cujus nomine titulum Structuræ accepit. Diem ipsum *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus*, STANISLAUS *à Slupow* SZEMBEK, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ hodie Episcopus Cujaviensis, Magnorum in Republica meritorum Senator, ingens devotionis ac pietatis exemplar, solenni Sacrificio Missæ, in frequentissima Cleri assistentia, & inter suaves undiq; Musices concentus, consecravit. Atq; ut securior populi devotio perseveraret, die 18. *Augusti*

gusti, *Dominus Fabricæ Director* præsentibus Ordinibus Academicis, *D.* Patriarchæ sacrum Depositum, stanneâ Tumbâ desuper inclusum obsigillatumq; , è Sacello veteri in novam Ecclesiam introduxit, majoriq; Altari, ad ulteriorem Sanctæ Sedis Apostolicæ benignam declarationem, concessit.

Sed & præcesserat publica quædam piè dormientium in Christo Patrum, die 19. *Novemb. Anno* 1696. Recordatio, singulari devotione ab universis Ordinibus Academicis diserto Sacri eloquii sermone, & literis panegyricis ad solennem ritum celebrata; seu ipsa, in Translatione eorum Ossium ad novum posthumæ memoriæ monumentum, filiali erga pios Parentes cultu, & obsequio parentali, pia deductio; ut qui nobis quondam Schola Sanctitatis, & omnium virtutum in terris Gymnasium fuêre, in hac Domo Domini velut Divi Penates faustam tutelam, & progressum in timore Dei, ad diuturnum literarum incrementum concedant. Accidit autem eo ipso die, quô crebræ tot piorum Patrũ Tumbæ ex antiquo sepulchro in novum transportarentur, ut suavissimus violarum odor inter calcis cæmentiq; continuum fætorem, plateam, & universam novam Ecclesiam ad suavitatem

& ad-

& admirationem perfunderet. Ad quod prodigium advenerat tunc in Ecclesiam *Dominus Fabricæ Director*, in assistentia *Notarii Apostolici*, nonnullorumq; Præsbyterorum, suavitatem violarum admirantium, & ad monumentum noviter exstructum perducentium, ad ipsam nimirum Tumbam *Venerandi Patris* ADAMI OPATOVII, S. Th. Doctoris & Professoris, Canonici olim Cathedralis Cracoviensis, per 40. & aliquot annos in Academica statione continuò & laudabiliter functi; ubi pergratus iterum odor spectantium odorantiúmq; sensus permovit, alterna mentis compositione ad lætitiam: ut nihil aliud è tam admiranda rei novitate concipere potuerimus, quàm salutare incitamentum ad Divinam clementiam in Sanctis suis, laudandam, quòd labores Academicos in odorem suavitatis Deus gloriosus suscipere dignetur; elargiaturq; posteris per tam sanctum atq; honorificum corporum odorem, exemplum piè in Domino vivendi.

Sed & sequentia, quæ narro, Lectorem ab animi jucũditate non distrahant: nam & in iis Divinæ quædam Providentiæ elucet dispositio, ut ab ipsis avibus, Loci hujus sanctitas clarificetur. Cùm ad exsiccanda cælatoria opera, picturæque recentis, muro firmiorem inhæsionem, fenestræ

Eccle-

Ecclesiæ quaqueversus diu apertæ paterent; passeres jucunditate atque commoditate loculorum allecti, inter fructuum florumque cælaturam, nidificare cœperunt; ac tantum strepitum stridentibus continuò rostrulis causârunt; ut & devotioni, & laboribus distractionem, ad nauseam & vindictam plurimorum concitârint. Contigit, ut die quadam, circa tempus serotinum, ingens hirundinum copia advolârit, & deauratis supra tectum radiis, aliisq; linearum marginibus insidendo, comitia quædam agere videretur. Nam è Turribus ad tectum Ecclesiæ, ex eo vicissim ad Turres; hinc inter deauratos radios supra globulos sphærasq; diu & continuò volitare hirundines videbantur: donec uno impetu & festivâ quadam harmoniâ altè avolarent. quo factô, restabat passer albis equorum crinibus, funiculisvè inter radios implicatus exanimis, & deorsum pendulus. Diu cogitatum erat, quid esset mysterii, donec tandem sequentis diei tempore matutino, nullus ampliùs è millibus, penes hæreditarios Ecclesiæ loculos mansisse passer animadverteretur. Supernâ opinor factum Providentiâ; ut ad contemplandam Divinæ Misericordiæ in genus humanum, magnitudinem, quietior locus iis concedatur, qui diuturna studiorum

orum attendentiâ occupantur. Simile exemplũ è vita *D. Patriarchæ* de hirundine, Divina mysteria ad Altare interturbante legimus, quam quia infernalis Polypus ad impediendum laudes Domini ementitus erat; *D. Patriarcha noster*, è templo sub horribili Draconis specie detruserat. Vnde hirundinum iram contra Passeres, hoc Epigramma refert.

Nos genus invisum Templorum laudibus olim,
CANTIVS arcendo jecit ab hacce Domo.
Vos quoq; Passeruli tectis incumbere sueti,
Cur demulcetis cantica festa Deo!
Æmula sors rigido jussit vos fune ligari,
Arceri à Templis, hoc quoq; fune jubet.

Redeo ad monumenta pietatis. Cùm nova omnia in Templo viderentur, etiam Caput *D. Doctoris* ad novum & apertum monumentum affabrè constructum, solenni imponere ritu, novoq; honoris cultu, Ordines Academici optabant. Levare illud è Tumba consignata, Sedis Apostolicæ potestas, post innumera alia gratiosè cõcessa beneficia, ad supplicationem Vniversitatis indulsit, jubente Sanctissimo Domino Dño nostro, Divinâ Providentiâ PP. CLEMENTE XI. literarum, Literatorumq; Protectore clementissimo; &, ut Sacra D. Corporis Lipsana nonnullis Regni Civita-

vieátibus in tutelam concederentur; benignè annuente. Ad hanc clementem Sanctæ Sedis Apostolicæ declarationem, *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus* CASIMIRUS *à Łubna* ŁUBIENSKI, Episcopus Heracleensis, Suffraganeus & Administrator Cracoviensis, solenni cæremoniarum ordine, Tumbam, sacri Depositi aperuit, atq; CAPUT odoriferum plenum scientiæ & veritatis, plenum timoris Domini & sanctitatis, Præsuleis suis manibus levavit, ac Thecæ argenteæ deauratæ, selectissimis petrarum fulgoribus adornatæ, inclusit, & obsigillavit. Reliquias aliquot, principalioribus Regni Civitatibus, *Leopoli*, *Varsaviæ*, *Lublino*, *Culmæ*, *Zamoscio*, *Kenty Oppido*, Marchionali Illustrissimæ ac Excellentissimæ *Myskovianæ* Domui, & nonnullis Religiosis Familiarum Templis dividendo: sibi à pede, particulam minimam, in præsidium ad ambulandum vias Domini, optimus Præsul assumpsit. Reliqua sancta Lipsana iisdem Tumbis occlusa, Festivitati Translationis Reliquiarum consignavit. Quæ quidem solenni ritu, assignata jam die, in tutelam Urbis circumduci debebant, nisi feralis Martius trās Balticus Leo, contra publicam Regni pacem, acerbè rugîsset. Sic inter pacis belliq; dubias ferias, & tristem fatigatæ Reipublicæ dolorem, scissis

scissis lacerisq; undiq; animorum suspiriis, non aliud dare voluit Deus consolator mæstorum præsidium, quàm Sanctorum excubias; hujus præcipuè Divi Tutelaris sanctam opem, jam in Marmorea Tumba supra Altare suum, velut ad vigilias Vrbis, collocati: cujus beneficio & præsente tutelâ, Vrbs & Vniversitas integrè conservata, benedicit Deum Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum, qui fecit nobiscum misericordiam in Sanctis suis, & salvavit nos à manu eorum, qui nos oderunt. & præcipuè quòd, in tam insigni Basilicæ hujus structura & ædificatione, auxiliô admirabilis Divinæ Providentiæ consummatâ, Gloria Domini non jam sub velamine infinitæ bonitatis, sed præsenter illuceat omnibus, ad sacratissimi sui Nominis veram confessionem deprædicationémq;. Permaneat igitur Domus hæc Sanctissimo ejus Nomini, ac Divinæ secundùm carnem Familiæ, dedicata in sanctificatione ejus. Operiat nubes Tabernaculum hoc testimonii & gloria Domini impleat illud.

PARS II.

CAPUT I.

DIVINÆ PROVIDENTIÆ,

profundè inclinatum.

SOnoram operum DEI Tubam,
Providentiam esse opinabar;
Sed Manus est occulta.
Sic enim eam acuta Ægyptiorum Symbola censent.
Manus est;
quæ infirma eligit, ut confundat fortia:
quæ res hominum mira vicissitudine versat,
elevat & regit ad placitum.
si aperitur:
implet animalia benedictione,
& gemmeo cælestium gratiarum rore
perfundit Universum.
Si clauditur:
tornatilis est,
aurea est, plena hyacinthis.
Nec mirùm:
ad tam vastam mundi congeriem,
ad perpetuam rerum conservationem
pleni-

plenitudine opus est indeficiente;
ut omnibus satis sit, & abundanter,
ad numerum & mensuram.
Manus hæc ad instar Sphæræ voluitur in singulos,
sinè respectu porsonarum;
continétq; omnia:
nam in illa, & nos, & sermones nostri,
& omnis sapientia & vita est.
Si tot felicia belli incrementa,
à Manu hac potenti enumerem,
gladiô Gedeonis impleta est,
triumphos & victorias referente.
Si adversa & prospera,
alternis sociata choris emineant;
Spectaculum est,
& cor Regis in manu Domini positum.
Si optatæ commoda pacis recenseam;
Olivetum est, Lauretum est, Palmetum est.
ô felix Palmus!
quæ tot florentes comprehendit palmas:
cujus superficies, area est incomprehẽsibilis,
germen vitæ producens, & panem salutis portans.
Manus hæc etiam planta est,
firmissimis vallata undiq; fundamentis,
cui universa terrarum moles,

Opus Dexteræ Excelsi, insidet;
& tot provisæ cælitùs machinæ sustentatur.
Quid si manum hanc omnia dixerim?
continens enim universi, universorúmq; est;
attamē ad annunciandū mirabilia Domini;
pars est, & pars brachii Excelsi.
ô felix nimiùm Templum nostrum!
cui contigit pars hæreditatis Domini.
Jam oculum Manûs inspiciam.
Oculum in manu moveri,
monstrum nemo dixerit;
prodigium est, & Omnipotentiæ lumen.
Oculus iste apertus super metuentes Dominum,
ut in eo qui sperant, misericordiam consequantur.
Fax hæc lucidissima & in abscondito vidēs,
errantes ducit in viam veritatis;
& quos tetra rerum caligo opprimit,
perfusis gratiarum radiis illuminat, & vivificat.
Argus centoculus,
priscæ cæcitati umbram continuò meditanti,
imago lucis & custodiæ fuit.
Super nos lumen vitæ signatum est;
& vexillū lætitiæ in tutelam salutis elevatum.
Græciæ nec Ægypto invidemus Augustalia,
quæ inter atros Pelagi furores,
vel.

vel Sostratas foco insignivit in Pharum,
vel Chares Lyndius tædis, flammisq; evexit in Colossū.
Sufficit Terræ nostræ Tēplum D. ANNÆ,
inter tot tetros bellorum motus;
inter feralem Martis strepitum & pulverem,
Lumine Divinæ Providentiæ signatum,
elevatumq; firmioribus fundamentis,
ad claritudinem famæ & plenitudinem perfectionis.
Oculus enim hic sanctissimus,
in imum terræ montiúmq; descendit,
providitq; tot ingentium petrarum acervos,
duram rupium & inconditam molem,
informia saxa & lapidum crusta,
vertit in formosas columnas,
in bases, pila, & coronides accuratas:
Ut ad hanc benedictā visionē, provisionemq;
artium genium eminuisse,
& venustam gloriæ speciem,
in hac transmontana Provincia hæreditâsse,
exemplum dicendi foret Posteris;
qui hæc magnalia Domini penitiùs perpendent,
mirabunturq; tam grande ædificii monumentum,
oculo Domini prospiciēte firmatū & erectū.
Oculus hic cuncta intuens
trium laterū æqualium, mutuoq; coeuntiū
angu-

angulis circumscribitur;
sed infiniti luminis est, immensiq; spatii:
æqualitas angulorum uno clauditur centro,
quia individuæ Trinitatis,
& Trinæ Unitatis speculum est.
in quo radii quidam elucent velut termini,
Sed illius, qui sinè termino est;
& ex infinita in genus humanū misericordia
terminari voluit, in utero sanctissimo
Virginis Immaculatæ,
purissimo castitatis Speculo,
Divæ ANNÆ Augustissimæ Filiæ
humanam carnem assumendo.
Tantis ac tam solennibus gratiarum splendoribus,
Templum nostrum lucet ad prodigium;
quod Manus Domini dextrè stabilivit,
quod Oculus Deitatis,
in opus suum excelsum providit;
quod Sanctissima in Terris Trias,
JESUS, MARIA, ANNA,
ad salutare generis humani auxilium,
prospere regit & gubernat
Ergo pro immensis & ineffabilibus beneficiis Tuis
Deus, Domine Dominantium,
Consolator & Conservator noster.
ad

ad aram tremendæ Majestatis Tuæ,
prosternimus gaudia & suspiria nostra,
in holocaustum solennemque victimam;
Preces nostras perfūdimus lacrymis & votis;
ut Domum hanc sanctificationis suæ,
Æterni PATRIS ingenita potestas,
in manifestationē gloriæ suæ diu cōservet:
Firmet Habitaculū hoc Dei cum hominib⁹,
Caput anguli Salvator noster,
Deus Homo, Agnus Cælestis,
sangvine suo pretiosissimo,
oblationem universalis Ecclesiæ absorbens;
Fundamentum; sinè quo nulla ædificii moles sustentari potest, & extra quod salus nulla posita est.
Ungat & Sancti Spiritûs gratia,
Templum hoc,
Divinæ Clementiæ Charismate,
in sanctificationis solium & animam viventē.
ut illi diutissimè præsit,
Templum Sanctissimæ Trinitatis,
Dei Mater & Virgo,
cœlorum terrarúmq; Regina;
illud Verbum infinitæ bonitatis, & immensæ majestatis,
in se comprehendens,
quod tot cœlorum immensitas capere non poterat.
M & qui

& quia Sanctissimi Nominis sui festivitatem,
primis hujus loci fundamentis,
principium Encæniorum indulsit;
amplificet & Dedicationis solennia,
tuecaturque Domum Domini,
in Patriæ ac Urbis dulce decus & præsidium.
Suæ etiam Matri Virgini,
fructus Virginitatis, Deus homo associabitur,
quidni & ANNÆ gratiæ Matri?
sub cujus sanctissimo Nomine,
exsuperantium bonorum gratiæ,
nunquam in Domo hac deficient,
quia Mater est gratiarum.
Tu verò Herilis potestatis Princeps,
Augustissimæ Matris Dei Auguste Parens,
S. JOACHIM,
Templi hujus Pater & Protector,
conservabis supplicia precationum nostrarum vota,
in sanctuarium Domini;
suscipiésq; è manibus nostris,
profundæ adorationis victimas;
Ad illud Lumen Salutis & germen vitæ,
quod è domo Tua ad revelationem gentium effloruit.
Aderis & Divinissime JOSEPH,
Patriarcharum decus & gloria,
Christi Nutritie & Sponse Matris Dei,
navis

Navis Institoris de longè portans panem,
designatio primitivæ Ecclesiæ & lapis angularis,
sub cujus præsente tutela,
bene nobis erit,
propter Sororem Tuam Virginem Sponsam.
In hoc igitur Templo Domini,
tot Sanctissimis nominibus adaucto,
Dive Patriarcha Noster IOANNES CANTI,
thymiama devotionis nostræ offeres,
providebisq; Sanctissime Æditue,
Divinæ Providentiæ Sacrificium laudis.
offer quæ nuncupamus vota
pro Ecclesia, Rege & Patria:
Vt Sanctissimus Dominus Noster Divinâ Providentiâ
CLEMENS PP. XI.
Ecclesiæ Sanctæ diu & feliciter præsit.
ad fidei Orthodoxæ emolumentum.
Vt Serenissimus ac Potentissimus Rex noster,
AUGUSTUS II.
Laurus palmasq; nobiles, à Divinæ Providẽtiæ palma accipiat,
Ut Præsul Illustrissimus, hujus Sanctæ Domûs consecrator,
Spiritũ Sapiẽtiæ & intellectus quô claret, in benedictione Dñi,
ad vitam longævam diu possideat.
Ut Universitas literarũ nostrarũ quarto hoc seculô
trãquillè vigeat, enarretq; gloriam Providentiæ Dñi,
quæ illuxit super Templum Sanctum suum.
 CAPUT

CAPUT II.

Piè in Christo dormientibus, ad posthumam gratitudinis memoriam erigitur.

LVmen Solis amabile,
Collatio gratiarum est;
nimia cor opprimit, sicut ingens lux oculos.
excitat quidem literarum spiritum;
sed præ multitudine beneficiorum,
ubi ingentia machinarum trophæa sperat;
accipit foliorum condita monumenta.
feliciora pyramidibus atq; obeliscis;
quia in illis saxea nisi moles,
os habet & non loquitur:
in his vita & spiritus ipse,
nunquam intermoriturae gloriæ nomina censet:
ipsósq; coeli pertingit cardines,
pervagatâ in omnes provincias famâ meritorum.
Porro orientem solem adorare,
Persis non litteris commune est.
nimirum nascentis fortunæ exordia,
barbari ut plurimùm colere solent.
Litteræ Cosmicum stellarum occasum
ad sinchronicum ortum contemplantur,
& occiduos siderum splendores,
referunt ad medium cæli.

Nam

Nam & occasus, signorum seriem ordinat:
& Antenatorum egregia facinora,
sunt exempla posterorum.
Cygnus & Lyra fulgida cæli sidera,
nunquam occidunt:
sed infra Arcturum
in Tropica sphæra continuò lucent.
Stellæ hæ, literarum Cellæ sunt,
in quibus beneficiorum memoria conditur,
ut luceat perpetuò posteris,
quam Divinæ Providentiæ sphæra oriri fecit.
Nimirum cùm ingentes Patriæ curæ,
Heroas in quietem & occasum vitæ devehant;
literæ ad ortum revocare debent;
decessus Principum, non ortum celebrare svetæ.
Ad VOS Parænesis hæc est,
Magna olim Lechici orbis Sidera!
literarum conditores & conservatores;
Prima Templi Domini Fundamina,
& Illustrissima orbis nostri lumina.
quorum occasum in cæli facie
Patria conspicit, literæ admirantur.
Effulget Regia & Serenissima Majestas;
utramq; Horizontis superficiem complectens,
in Divis Poloniarum Regibus:

 VLA-

VLADISLAO IAGELONE & HEDVIGE;
Vniversitatis Fundatoribus & dotatoribus;
quorum pientissima operaconstellationes sunt,
altam cæli superficiem comprehendentes;
in quibus quot lumina, tot beneficia colimus,
& ab ipsa Zodiaci basi, ad polum
pyramides erigimus,
apud Memphim nostram perennaturas.
Succedit Serenissima Iagelonicæ stirpis,
Regia Propago:
VLADISLAVS III. IOANNES ALBERTVS:
ALEXANDER: SIGISMVNDVS I.
SIGISMVNDVS AVGVSTVS, STEPHANVS,
ANNA IAGELONIA; & VLADISLAVS IV.
Potentissimi Poloniarum Reges,
quorum beneficijs ipsæ etiam literæ effulserunt,
ut lucem gratiæ communicare possint.
Sidera hæc primæ magnitudinis,
superant etiam ipsam gratitudinis mensuram,
altiora enim & majora sunt,
quàm quæ obligationis cognitio contingere possit.
Adest proximè sidus maximum
IOANNES Magnus Poloniarum Rex,
bellandi gloria & felicitate regnandi,
major quàm dici possit.
Cujus splendore & motu gratiarum,
incita-

incitamentum acceperunt tot pia nomina;
ad hoc Sanctũ in terris DEI Augustal perficiendũ.
cùm & ipsæ literæ florem venustatis,
& scientiarum *abyssus*, lumen gloriæ
à tanto sidere accepisse fateantur,
ut Hæreditario SOBIESCIANO SCVTO,
nova Sphæræ Arcticæ addita Constellatione
cælum ipsum gloriari gestiat.
Post Regum splendores maximos
Candida nitet FASCIA,
Magni olim Præsulis
IOANNIS *de Malachowice* MAŁACHOWSKI,
Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ.
FASCIA hæc augusta, plena gratijs & beneficijs
lacteam viam constituit,
spacium illud nivei splendoris immensum;
cujus stellæ beneficiorum innumeræ sunt,
lumen in similitudinem fabricæ diffundentes.
Lucent & insignia gratiarum emolumenta,
Illustrissimorum & Reverendissimorũ Antistitum
constellatæ imagines,
IACOBI ZADZIK, PETRI GEMBICKI,
Cracoviensium Episcoporum, Ducum Severiæ,
THOMÆ, & NICOLAI OBORSCIORVM,
Suffraganeorum Cracoviensium,
STANISLAI SOKOŁOVII Canonici Cracov:
VLADI-

VLADISLAI *de Minsko* OPACKI,
Archidiaconi Cracovienſis,
GABRIELIS WŁADYSŁAWSKI, Præp: Varſa:
Sacræ Theologiæ Doctorum,
& excelſa reliqua primi aſpectûs lumina,
quorum beneficis radiorum influxibus,
Parnaſsi colles Cracij effloruerunt,
ut fructũ Sanctuario Domini dare cõtinuò poſsint.
Sed & domeſticus ſiderum ſplendor
altam cæli faciem occupat:
fulgores inquam literarum
arduis quondam laboribus accenſi,
novum hoc Patrimonium clarificant,
& pretioſiſsimis ſudorum gemmis adornant.
Venerandorum ſcilicet Patrum,
ADAMI OPATOVII, Lumen odoriferum,
SIMONIS HALICII: MATHIÆ BLOSII:
IACOBI PIOTROVICII: ANDREÆ LIPNICII:
IACOBI VITELLII: FLORIANI LEPIECKI:
NICOLAI SULIKOWSKI; ADAMI MLYNKIEWIC:
LUCÆ PIOTROWSKI: IOANNIS RADZKI:
ALBERTI ŁANCUCKI: SIMONIS MAKOWSKI:
ANDREÆ KUCHARSKI: IACOBI BALTHAZAROWIC:
IOANNIS MICHALSKI: SAMUELIS FORMANKOWIC:
CHRISTOPHORI SOWINSKI: PAULI WOIEWODZKI:
MARTINI WINKLER: CASIMIRI STRASZYNSKI:

OSEPHI

IOSEPHI WISNIOWSKI: IOANNIS GORECKI:
Sacræ Theologiæ, & Iuris Vtriuſq; reſpectivè
Doctorum & Profeſſorum,
ſtellis ſignata claritudo:
quorum Nomina in axe ſiderum locata,
ad candidam cæleſtis Agni ſphæram mota,
inferiorem hanc Templi myſtici machinam
illuminant & vivificant.
Reliqua lucentia beneficijs ſidera,
quòd in hac pagina non cenſeantur,
pietatis documentum eſt:
nimirũ arcana virtutũ opera revelare plurimi cupiunt;
ſed beneficia collata non indulgent;
cenſebit ea attamen perennis memoria
inter annua hujus Baſilicæ Encænia,
quorum pientiſsimos affectus
Divinæ Providentiæ oculus
ad coronidem ſui operis providit.
Veſtris igitur gratijs, ò cæli Proceres, ò benefica ſidera!
condignas referre grates, non opis eſt noſtræ:
Cælum ipſum ſit merces Veſtra copioſa,
quod tanta meritorum claritudine pulchriùs nitet.
DEUS ipſe glorioſus, Templum Civitatis ſanctæ,
comprehẽdat vos æternæ quietis lumine:
& inter Agmina Cælitum perpetuò clarificet
Lucerna Templi,
AGNUS IMMACULATUS.

N CAPUT

CAPUT III.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino,

D. EPISCOPO CONSECRANTI,

& viventibus Benefactoribus, perpetuæ obligationis monumenta inscribit.

SI folia censere possunt
effectus gratitudinis;
quilibet apex gratiarum actio est:
utinam sufficiens benefacientibus!
ac illud loquatur carmen,
quod collati obuli, Characteres scilicet æternitatis
signanter expresserunt.
Porro animorum hoc studium est:
quòd gloriemur obligationibus nostris;
& trophæa literarum erigere
Benefactoribus cupiamus.
Rupium molem non quærimus;
formam dabunt symbola;
corda pro fundamentis locabimus;
in quibus exurget machina,
præclarum vitæ subsidium continens,
gratiæ nempe retributionem,
cujus

cujus ornatus memoria est,
custos beneficiorum & perpetua confessio.
Tuo imprimis honori
universa exsurgit structura,
Illustrissime ac Reverendissime Domine,
D. CASIMIRE à Łubna ŁUBIENSKI,
Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ,
Episcope Heracleensis, Nominate Chełmen.
Suffraganee Canonice
Sede vacante Episcopatûs Cracoviensis
& Ducatûs Severiensis,
Generalis Administrator.
Tuis beneficiis debemus,
quòd D. JOANNI CANTIO,
Regni, Urbisq; Patrono,
locum & cultum ordinaveris:
Tuis gratiis, quòd Ecclesiæ S. ANNÆ vitam dederis,
cui ornatum contulisti;
Mensis iste, quô hæc Encœnia operaris,
Noemiticus & primus est omnium,
quem ad annuæ revolutionis principium
summè accommodum Argyrus cum Græcis facit;
quòd per octo festiva anni phænomena,
Solis lunæq; motus dextrè regulet.
Nobis hunc mensem Præsul optime!

 auspi-

auspiciis Tuis ad revolutionem lætitiæ,
primum atq; octavum jubes;
quô & Æram, Aris Templi Domini
novam, primamq; erigere possimus;
& per octo continuos dies
svavi virtutum harmoniâ
animos nostros in obsequium Domini,
ad has frugum primitias
annua festivitate renovare velimus.
ut Atavum gratiarum Signum Tuum,
quo Ecclesia & Patria clarius nitent,
in principale hujus Basilicæ ornamentum perennius vigeat.
Ad vos tandem, Magna Lumina:
Ecclesiæ & Patriæ dulcia decora,
sermo ex ipsis saxis prorumpens
in gratitudinis obsequium se inclinat,
quorum Scuta, coronæ, apices,
Faciem Templi Domini adornant,
lateribus, marmorumq; tabulis insculpta
majori pietatis artificio,
quàm totius Asiæ
quod Ctesiphon cælare fecit.
Hinc sacer *Coronarum Ternio*
fulgentissimo meritorum splendore,
pastophoria & cardines implet:
illinc

illinc ROSARUM Trias
sacro odore virtutum fragrantior
firma Ecclesiæ columina coronat.
hinc gemmeum SRENIAVÆ Flumen
FASCIA vallatum,
in svave gratiarum mare diffunditur;
illinc CYNTHIA stellata
in auge LEONIS fulgentissima
Ecclesiæ Lumen clarificat.
hinc SOLEÆ parastadum bases consolidant:
illinc LILIA coronides efformare videtur.
hinc AQUILÆ expandût Zophorum:
illinc, ASCIA Fornicem tectumq; contegit
Totus Ecclesiæ prospectus, perenis pietatis aspectus est,
oculo Divinæ Providentiæ clarificatus,
Reliqua insignia ornamenta
quæ Columna occupare non potest,
Phæbus perennitatis Architectus,
sacris Ædium parietibus insculpta censebit.
Mecœnates patent:
aderunt festivi Horatii:
Templum beneficiorum erectum est:
hoc affectus perpetuæ gratitudinis
verior Apelles pinget,
Lysippus ingeniosè cælabit:
Benedictio Domini copiosis gratiis vivificabit.
N3 CAPUT

CAPUT IV.

Perillustri & Reverendissimo Domino,
D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,
V. I. Doctori, & Professori, Cracoviensi, &
Vielunensi CANONICO, Vniversitatis
PROCANCELLARIO,
Fabricæ EcclesiæS. ANNÆ, DIRECTORI consummato,
pro tot curis, laboribúsque susceptis,
EVCHARISTICVM.

SOlone quantùm claruit Attica;
Catone quantùm jura Quiritibus
Crevêre; quantùm viribúsque
Herculeis viguêre Thebæ:
Tantùm refulget legibus è Tuis
Curisve Memphis nostra potentior,
Te rebus olim roborandis,
Grande sibi columen precata.
Te quippe cuncti surgimus altiùs
Cunctante, nedum ponè quievimus;
Et gloriamur, vivimúsq;
Te vigili placidam quietem.

Erecta

Erecta porro brachia & ambitus,
Templiq; culmen firmius eminet,
Tantiq; conatum laboris,
Ruderibus posuisse finem,
Censebit ætas postera, quæ Tuis
Ornata curis, splendidior nitet,
Cultúq; Templorúmq; formâ
Clarior ingenióq; morum.
Tu cuncta solus munera perficis,
Vastum laboris germen, & inclytum
Lumen repandis, quô vigere
Fana diu cupient & artes.
Ergo Polonæ gloria Palladis
Ad vota vivas; inspicias diu
Terrestre cœlum, quod replêsti
Agminibus pretiisq; rerum.
Confirmet artus membráq; corporis
Tot gloriosis fracta laboribus,
Vitámq; prolonget, supernè
Prospiciens Oculi potestas.

UNI, TRINOQVE
DEO,
HONOR, GLORIA, & GRATIARUM ACTIO.
AMEN.